

MONOGRAPHIA
HISTEROIDUM.

MONOGRAPHIA
HISTEROIDUM

AUCTORE

GUSTAVO DE PAYKULL

SER. REG. SVEC. CANCELLAR. A CONSILIIS EQU. AUR. ORDIN. DE STELLA POLARI ACAD. ET. SOCIET. SCIENTIARUM. STOCKHOLM. UPSAL. PETROPOL. CÆS. NAT. CUR. PHILADELPH. FLORENT. GOTTING. SIENENS. NAT. SCRUT. BEROL. HIST. NAT. PARIS. MOSCOW. HAFN. CET. MEMBRO.

UPSALIÆ,

EXCUDEBANT STENHAMMAR ET PALMBLAD.

MDCCCXI.

Procemium.

Senseram equidem a multis retro annis, quid e curatioribus in numerosiora vel gravioris indaginis genera Monographiis capesseret lucri Historia Naturalis. Hoc fuit in caussa, cur Monographias Staphylinorum, Caroborum et Curculionum elaboraverim olim, jurisque fecerim publici: restricta vero ad species intra patriæ ambitum repertas tota laborantis industria. Si enim una parte, factis periculis, auctior inde ditesceret Svecica Fauna, ab altera tamen nimis fortasse in mirabili Universi compage, ubi una ex Indiis species sæpe duas connectit Europæas, intacti relinquerentur articuli Summus Orbis Creator, qui omnipotenti suæ voluntatis Fiat esse jussit, quæ sunt, hoc sibi reservatum voluit, ut articulos, quibus concatenatam fecit Naturam, undique oporteret colligere et collectos ordinare. Si homini fuisset creandi facultas, forsitan hoc imperfectionis humanæ exstaret documentum, quo fieret, ut proximæ affinitates intra easdem regiones congestæ adessent. En! distributionem angusto humano conspectui congruam. Omnipotens autem Universi Arbiter in omnibus operis sui juncturis totum pervidit, et sapienter distribuit.

Quo generalius quis extendat in rerum naturam scrutinium, quoue ampliorem istius notitiam aliis impertiat, eo justius præclariusque censebitur coævos et posteros de-

Procœmium.

Senseram equidem a multis retro annis, quid e curatioribus in numerosiora vel gravioris indaginis genera Monographiis. capesseret lucri Historia Naturalis. Hoc fuit in caussa, cur Monographias Staphylinorum, Caraborum et Curculionum elaboraverim olim, jurisque fecerim publici: restricta vero ad species intra patriæ ambitum repertas tota laborantis industria. Si enim una parte, factis periculis, auctior inde ditesceret Svecica Fauna, ab altera tamen nimis fortasse in mirabili Universi compage, ubi una ex Indiis species sæpe duas connectit Europæas, intacti relinquerentur articuli Summus Orbis Creator, qui omnipotenti suæ voluntatis Fiat *esse jussit, quæ sunt, hoc sibi reservatum voluit, ut articulos, quibus concatenatam fecit Naturam, undique oporteret colligere et collectos ordinare. Si homini fuisset creandi facultas, forsitan hoc imperfectionis humanæ exstaret documentum, quo fieret, ut proximæ affinitates intra easdem regiones congestæ adessent. En! distributionem angusto humano conspectui congruam. Omnipot[illegible] autem Universi Arbiter in omnibus op[illegible] ju[illegible] otum pervidit, et sapienter distrib[illegible]*

[illegible] extendat in rerum naturam scru[illegible] istius notitiam aliis impertiat, [illegible] cens[illegible] ævos et posteros de-

* * * * * *

meruisse. Hinc Lynceus ille VON LINNÉ *nomen reportavit, quod nulla unquam obliterabit meritorum oblivio. Sed quot interibunt secula, antequam novum surgat Ingenium, cujus acies æque feliciter valeat Naturæ pandere mysteria? Interim tamen nos, quotquot sumus, alii, intra arctiores conclusi cancellos, phænomena, nostris sat viribus pervia, exponere labormus.*

Longiores ad Exteros peregrinationes, quibus, testis ipse oculatus, plerasque, quæ in Europa sunt, majores Insectorum collectiones, inspexi, meumque ipsius, spe auctius, Musæum, sed præcipue junctior cum maximis Europæ Entomologis familiaritas, fecere, ut majoris jam amplitudinis opera, quam quæ huc usque suscepi, inchoare ausim: videlicet, ut Generum, quæ posthac sum descripturus, singulas, me sciente, cognitas inseram species, a quavis terrarum plaga oriundas.

Initium faciendum ab Insectis, sub genere HISTRORUM *nomine huc usque coangustatis, quorumque adeo fuit recentiori tempore ditatus numerus, ut peculiarem certe poscant Monographiam. Hoc tandem peracto negotio, gravius, si sinant tempora et valetudo, meditabor opus: Tractatum diversorum generum, quæ consciverat Divus* LINNÉ *sub Genus* TENEBRIONUM, *in plures postmodum divisorum, sed adhuc, si et generum et specierum characteres spectaveris, facto curatius examine, digerendorum.*

At priusquam præsens adgredior negotium, grates volo relatas Illis Scientiæ Amicis, qui, partim animadversiones et experimenta, partim multas rariores vel prius ignotas species mihimet communicantes, ad speratam Monographiæ meæ perfectionem haud parum conduxnrunt. Inter hos vero, si peregrinos respicis, singulari animi adfectu citabo Dominos BOSC, OLIVIER *et* LATREILLE,

* * * * * *

Parisienses et Dom. De Sehestedt, *Hafniensem, singulos amicitia antiqua ac sacro in Historiam Naturalem zelo mihi junctos. Summo quoque jure citabo perspicacissimum Dominum, quo superbit Odenbachia,* Müller, *qui non solum Orbi erudito exhibuit egregiam in suæ viciniæ Histros Monographiam; sed etiam præter plures, quas mihi transmisit, rariores species, ipsam* Histri Merdarii *larvam et nympham mihi nuperrime dedit, et cum his certissimam persvasionem, receptam veteris Histrorum generis in bina,* Histros *et* Hololeptas, *divisionem, in magna Larvarum diversitate suum habere fulcrum, proindeque, hoc etiam respectu, suum petere e natura principium. Inter Populares meos, qui hanc Monographiam novis et raris speciebus benigne ditarunt, præ ceteris Dominos* Gyllenhal, Thunberg, Schönherr, *Afzelium*, Gröndahl *et* Ljung *gratus nuncupabo.*

In Tabulis, quas subjunxi, exactiorem videbis collocatam curam. Sub meis ipsius oculis omnes delineavit Dom. Klingvall, *eximius et Mathematicus et Pictor. Ipsas vero sculpturas, curante amico meo* Schönherr, *cui obstrictissimum me semper fatebor, concinnavit Dom.* Ruckman, *haud exiguæ spei Artifex.*

Necessarium duxi, Generum, quæ tractavi, singulas sculpi species, quippe quarum complures invicem proxime adsimiles: idque adaucta magnitudine factum; siquidem pleræque tam sunt parvæ, ut ipsæ alioquin figuræ nihil omnino prodessent. Lineolæ ad quamlibet speciem ductae, naturalem notant animalculi magnitudinem. Artificiosam figurarum illuminationem in generibus, in quibus plurimæ species superne sunt unicolores, nigricantes vel metallicæ, minoris putavi utilitatis; sed discolores quum adsunt maculæ, parvula juxta majorem figura harum monstravi situm.

* * * * * *

Nullas hic reperies ad solam aliorum auctoritatem descriptas species: omnes ego oculis inspexi et manibus tetigi. Spero tamen paucissimas hic te desideraturum species, ante me rite fixas et distinctas. Nullam certe ego apud Auctores, quos consulere mihi licuit, deprehendi a me prætermissam, nisi forsan Hist. Biguttatum *a Dom.* Steven, *in* Act. Soc. Nat. Moscow. *descriptum, at non delineatum. Dantur quidem sub nominibus, quæ agnoscere dubitavi, nonnulli Histri e.gr.* Hist. Detritus *in* Syst. Eleutheratorum *Fabricii; sed hoc semper casu in complures species quadrat descriptio. Difficulter ergo manifestari potuit Synonymia, et fortasse aliis sub nominibus apud me latent eædem species.* Hist. *vero* Glabratus *Fabricii diu jam fuit a generibus, quæ nunc descripsi, merito exclusus.*

Quod ad Synonymiam attinet, ad novissima Celebriorum Auctorum opera sæpius me restrinxi; de cetero ad locupletissimam Domini Schönherr Insectorum Synonymiam, *ubi Auctores fere omnes, qui de Histris egerunt, citantur, Lectorem ablegaturus.*

Dabam in prædio Walloxsäby prope Upsaliam die 19. Jan. 1811.

G. de PAYKULL.

Monendum reor, quædam gravioris momenti, omni licet adhibita cura, irrepsisse errata typographica: p. 1. lin. 11. pro *Confundebatur* lege *Confundebantur* p. 35. l. 27. *pone* Erythropterus adde *Auctorum* p. 40. l. 33. pro *Tab. III.* lege *Tab. IV.* p. 41. l. 25. pro *XI. f. V.* lege *XII. f. VI.* p. 42. l. 22. pro *III.* lege *IV.* p. 47. l. 19. pro *f. VIII.* lege *f. VII.* p. 77 l. 30. *pone* rufi *adde* tibiis. p. 80. l. 25. *pro* tarsis *lege* tibiis. p. 83. l. 2. pone *nitidis* adde *Tab. VII. f. IV.* p. 84. l. 4. pro *VII.* lege *VIII.* ibid. l. 24. pro *X.* lege *XI.* p. 87. l. 6. pro *f. II.* lege *f. I.* Leviora Benev. Lector corrigat.

INDEX SPECIERUM.

HISTEROIDES.

Familia illa Eleuteratorum pentamerorum, quam sub nomine Histeroidum intellectam volo, sequentibus characteribus distinguitur.

Antennæ *fractæ, clava subsolida, articulis scilicet arcte junctis.*

Elytra *abdomine breviora, postice truncata, vel parum rotundata, margine laterali subtus inflexo.*

Abdomen *obtusum, breve.*

Confundebatur diu hæc Insecta jam cum Scarabæis, jam cum Dermestibus atque Coccinellis. Immortalis Linnæus, cujus merita non possunt non ex quacumque parte in Historia Naturali resplendescere, primus fuit qui illis proprium assignavit genus, sub nomine Histri, petita, ut vero simile videtur, derivatione e voce Latina *Hister*, quoniam elytra plurium ejusdem specierum, maculis, diverso a reliqui corporis colore, insigniuntur. Geoffroy postmodum hoc genus *Attelabum* nuncupavit, Linnæana vero determinatio omnino prævaluit. Linnæus ipse hujus generis non nisi sex novit species, postea vero sensim plures detectæ sunt. Celeberrimus tamen Fabricius, in systemate Eleuteratorum ante decem annos edito, XLIII. tantum Species determinavit, quarum nihilominus mi-

nus nonnullæ meræ sunt varietates. Successu temporis multo plures indagatæ sunt, adeo ut præsens Monographia plus duplo majorem numerum contineat, ex quibus saltim xxx species, quantum mihi innotuit, antea a nullo Entomologo descriptæ sunt, et reliquarum pars major adeo imperfecte, ut paucarum notas characteristicas antea propositas retinere potuerim.

Numerosum Histrorum genus quod recentissimis temporibus tot novis detectis locupletatum est, idoneis, procul dubio, indigebat subdivisionibus. Ante undecim annos in Fauna Svecica elaboranda desudans, hunc defectum optime expertus sum, eundemque removere tentavi; substitere vero, ut semper nullo præeunte accidere solet, conamina mea imperfecta. Plures celebriores Historiæ Naturalis Scriptores, eandem ingrediendo viam, apud entomologos sibi gratiam pepererunt, quos inter præ primis oculatissimus Dom. Müller Odenbachiensis, præclarus Monographiæ Histrorum, qui in ejus patrio solo reperiuntur, auctor, quam in *Entomologische Versuche* a. MDCCCIII impressam legimus, tam ex methodo illos distribuendi, quam aliis titulis, eximias promeruit laudes. Defuit vero ipsi sufficientem copiam specierum examinandi occasio, unde evenit ut subdivisiones ejus non semper sine emendationibus adoptari possint.

Primo multitudinem specierum antea in unum genus congestam, in duo distinguere necessarium duxi; idque non modo diversa instrumentorum cibariorum structura, sed et omnis habitus, larvarumque a se invicem manifesta discrepantia, suaserunt. Generi, quod plurimas magisque notas species comprehendit, nomen HISTRI reservavi; alteram phalangem segregavi, imposita HOLOLEPTÆ denominatione, ex Græco vocabu-

lo Ὁλος totus, et λεπτος tenuis, derivata, ad maxime conspicuam hujus generis notam, videlicet tenuitatem, exprimendam. Videsis infra distinctos eorum characteres.

HISTER.

Palpi *quatuor inæquales, articulis internis obconicis.*

Labium *corneum, subemarginatum.*

Ligula *membranacea, biloba, lobis arcuatis, apice acuminatis.*

Larva *hexapoda, capite primoque segmento planis corneis, reliquo corpore tereti, membranaceo.*

Histri plerique in stercore, quisquiliis, cadaveribus, et boletis putrescentibus degunt. Nonnulli etiam in ligno antiquo, in succo quem exsudant arborum vulnera, et rarius sub ipso cortice more Hololeptarum, inveniuntur. Aliæ species fere per totam æstatem, aliæ non nisi brevi tempore occurrunt. Nonnullæ vix nisi intra angustos limites quasi indigenæ inveniuntur, aliæ sub coelo longe diverso. Sic, exempli gratia, Hist. Carbonarius in India orientali, Europa omni, et Africa boreali adest, speciesque plures et Europam et Americam habitant.

Larvæ Histrorum huc usque Entomologis plane ignotæ fuerunt. Larva enim Histri in Systemate Eleutheratorum a Fabricio paucis memorata, ad Hololeptas pertinet, ut in Musæo amicissimi Dom. de Sehestedt

certior factus sum. Nuperrime vero Dom. Müller larvam nymphamque Hist. Merdarii invenit, mecumque statim communicavit, unde figuram et descriptionem adcuratam suo loco inserére mihi nunc licet.

Histri omnes nuper e nymphis exeuntes molles sunt, et, qui colore nigro insigniuntur, brunnei, unde numerus specierum apud Auctores nimis auctus fuit. Brevi vero tempore post metamorphosin sensim nigrescunt. Interdum tamen in individuis quibusdam color ille brunneus diutius, vel forsan semper, manere videtur, ut ex duritie illorum suspicor. Sequentes species nigras variantes corpore brunneo ipse vidi, scilicet: Hist. *inæqualem*, *majorem*, *cadaverinum*, *unicolorem*, *merdarium*, *bimaculatum*, *purpurascentem*, *carbonarium* et *angustatum*.

Species omnes hujus generis similitudine valde sunt affines, attamen in multis, differunt. *Caput* minutum, retractile, sub thorace reconditum. Instrumenta cibaria Hist. Unicoloris sic descripsi: *Mandibula* cornea, valida, crassa, trigono-triquetra, apice arcuata, acuta, intus denticulis quibusdam minutis obtusis. Tab. 1. f. a. *Maxilla* palpis brevior, biarticulata, coriacea, introrsum valde ciliata: articulo primo crassiore, subovato-trigono, secundo compresso valde arcuato, apice acuminato. f. b. *Palpi* quatuor, inæquales; *anteriores* maxillæ dorso adnexi, 4-articulati, articulo primo brevi, obconico, secundo et tertio etiam obconicis, at longioribus, quod de secundo præsertim valet, quarto longitudine articuli secundi, subcylindrico, apice obtuso, fig. c. *posteriores* breviores sub basi ligulæ annexi, triarticulati: primo articulo tenuiore, obconico, secundo etiam obconico, longiore, tertio ejusdem longitudinis, sed subcylindrico, apice obtuso. Fig. e. *Ligula*

membranacea, biloba, lobis divaricatis, arcuatis, acuminatis, intus ciliatis, palpis multo brevioribus. Fig. f. *Labium* corneum, apice subemarginatum. Fig. d. *Labrum* corneum, parum emarginatum. Fig. g. Instrumenta hæc cibaria pro specie diversa in quibusdam plus minusve variant: sic mandibula in Hist. Inæquali magis dentata, in Hist. Nitidulo omnino mutica; sic mandibula sinistra interdum dextra longior, interdum æqualis, labiumque in Hist. Majori paulo minus, at in Hist. Nitidulo paulo magis, quam in Hist. Unicolore subemarginatum invenitur; semper vero articuli interni palporum obconici, et labium nunquam, ut in Hololeptis bifidum, vel late profundeque emarginatum. Jam ad descriptionem reliqui corporis Historum progrediamur. *Antennæ* undecim-articulatæ: primo articulo arcuato, obconico, et sæpius septem sequentium fere longitudine, hi tenuiores, secundo etiam obconico reliquis paulo longiore, articulo vero nono, decimo et undecimo incrassato, valde coarctatis, ut clava omnino solida appareat. Tab. 1. fig. h. *Oculi* parvi laterales. *Frons* jam plana, jam impressa, jam convexa, sæpe stria semicirculari, quam *ordinariam* appellavimus, antice et ad latera impressa. *Thorax* sæpius antice valde angustatus, postice elytris arcte annexus, eorumque latitudine, rarissime vero illorum longitudine vel longior: supra plus minusve convexus, jam sulcatus, jam striatus, jam striis nullis; interdum impunctatus, interdum plus minusve punctulatus, tuncque disco sæpius læviore, nitidiore: subtus fere in omnibus sterno valde elevato, ad os usque protracto, antice rotundato, rarissime vero antice acuminato vel emarginato, quod in descriptionibus sedulo notavi. *Scutellum* minutum, triangulare, interdum minutissimum, punctiforme, sub elytris absconditum. *Elytra* duriora, abdomine

breviora, plus minusve convexa, apice truncata, vel parum rotundata, margine laterali deorsum inflexo. Paucissimis speciebus exceptis, reliquarum omnium elytra striis pluribus vel paucioribus adornata sunt; nunquam tamen pluribus, quam striis novem instructa, quarum binæ externæ in ipsa parte elytrorum abdomini inflexa, ut non nisi insecto resupinato conspiciantur. Harum striam margini inferiori propiorem, *terminalem*, et ei adjacentem, *lateralem* vocavi. In plerisque speciebus hæ adsunt. Prope striam lateralem, at in pagina superiori elytrorum, stria a me, *marginalis* dicta, apparet, illa vero in multis speciebus omnino deest. Tunc striæ quinque a me *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta et quinta striæ dorsales* dictæ, æquali fere spatio a se invicem remotæ, inveniuntur, et juxta striam quintam dorsalem, nona stria elytrorum, a me, uti suturæ proxima, *suturalis* nominata. Numerus harum striarum pro speciebus diversis variat; sed quando stria una alterave deest locus tamen ejus vacat, ut constet ubi esse deberet. Sæpe striæ elytrorum jam antice, jam postice abbreviatæ, et licet aliquando in eadem specie variare possint, ut indicaturus sum, tamen numerus et longitudo earundem, criteria bona præbent, et familiis et speciebus determinandis, aliis notis characteristicis simul sedulo observatis. Ad basin elytrorum, ab initio striæ primæ dorsalis, marginem versus, sæpius adhuc stria brevis, obliqua, interdum obsoleta, quem *humeralem* vocavi, adest, et quæ aliquando cum stria marginali coalescit. *Alæ* amplæ, sub elytris plicatæ. *Abdomen* plus minusve, at non multo, elytra excedens, lateribus et apice punctulatis. *Pedes* sæpius breves, anticis approximatis, intermediis et posticis valde distantibus: femora compressa jam tenuiora, jam crassiora, tibiæ compressæ, intermediæ et posticæ plus minusve spinulosæ, anticæ

sæpius quasi in triangulum oblongum dilatatæ, dentibus pluribus vel paucioribus, majoribus vel minoribus, rarius inermes, subfiliformes; tarsi tibiis breviores, articulis quinque compressis, quatuor primis sibi invicem similibus, subtus bispinosis, ultimo articulo longiore, apice ungulo duplici parum curvato. Ad latera pectoris foveolæ pro receptione pedum, quos Hister terrefactus statim contrahit, ut mortuum simulet, at non diu hoc in statu manet, sed iterum pedibus resurgit et effugere tentat. Magnitudo specierum hoc in genere maxime variat; a statura scilicet Scarab. Stercorarii ad minimorum fere Eleuteratorum. Mares et feminæ, quantum observavi, de cetero omnino similes, at feminæ paulo majores.

In genera plura hoc genus, speciebus valde numerosum, distribuere frustra tentavi. Certe species quædam nonnullæ a ceteris quo ad structuram corporiis differre nimis videntur, ut exempli gratia *Histri thorace sulcato*, sed metamorphosis eorum adhuc plane latet, et instrumenta cibaria in Hist. Sulcato examini subjecta, nullius momenti essentialiter diversa ab Hist. Unicoloris inveni. Nobis igitur modo superest sectionibus, tribubus et familiis cognitionem hujus generis sublevare, quare primo idoneum censui Histros omnes respectu thoracis in tres sectiones distinguere.

SECTIO PRIMA: *thorace longitudinaliter striato.*
SECTIO SECUNDA: *thorace striis longitudinalibus nullis.*
SECTIO TERTIA: *thorace sulcato.*

Has sectiones denique in Tribus, sæpiusque etiam in Familias et interdum in subdivisiones secerni necessarium esse judicavi; unde omnes species sic disribui.

SECTIO PRIMA.

TRIBUS PRIMA: thoracis lateribus bistriatis.

Familia Prima: *elytris stria marginali.*

Familia Secunda: *elytris stria marginali nulla.*

TRIBUS SECUNDA: thoracis lateribus unistriatis.

Familia Prima: *elytris stria marginali nulla.*

Familia Secunda: *elytris stria marginali.*

SECTIO SECUNDA.

TRIBUS PRIMA: corpore ovato.

Familia Prima: *elytris striis dorsalibus quinque.*

Familia Secunda: *elytris striis dorsalibus quatuor minusve.*

Subdivisio prima: *elytris stria suturali a quarta dorsali remota.*

Subdivisio secunda: *elytris stria suturali cum quarta dorsali conjuncta.*

Subdivisio tertia: *elytris stria suturali nulla.*

Familia Tertia: *elytris striis dorsalibus nullis.*

TRIBUS SECUNDA: corpore oblongo.

Familia Prima: *elytris striis nullis.*

Familia Secunda: *elytris striatis.*

SECTIO TERTIA.

TRIBUS PRIMA: thorace sulco utrinque unico longitudinali.

TRIBUS SECUNDA: thorace sulcis pluribus longitudinalibus.

HISTER,

SECTIO PRIMA.

thorace longitudinaliter striato.

TRIBUS PRIMA.

thoracis lateribus bistriatis.

Familia Prima.

elytris stria marginali.

I. Hist. Gigas *ater, mandibulis æqualibus longitudine thoracis, thorace ciliato, striis integris postice approximatis, tibiis anticis tridentatis. Tab. II. f. 1.*

Oliv. Ent. 1. 8. p. 5. N. 2. t. 95. f. 5.
Schönherr Synon. Ins. t. 1. p. 88. 1. Hist. Maximus.

Habitat in Senegallia.

Totus ater nitidus. *Caput* mandibulis thoracis longitudine, subinermibus, denticulo unico breviore in medio; antennæ nigræ, clava parva fusca; clypeus brevis, impressus, antice emarginatus; frons convexa, impunctata, stria ordinaria impressa. *Thorax* longitudine antice duplo, postice haud triplo latior, *) margine antico et laterali pilis brevibus ciliato, minus tamen quam in Hist. Majori; supra convexus, impunctatus, summo tamen margine po-

*) Mensuram longitudinis thoracis a medio ejus, non vero a lateribus, ubi anguli anteriores prominent, et mensuram longitudinis elytrorum ad suturam semper assumsi.

stico ad latera crebre punctulato. Striæ binæ longitudinales laterales, integræ, postice approximatæ. *Scutellum* ut in sequentibus minutum triangulare. *Elytra* antice thoracis latitudine baseos, postice parum angustata, convexa, stria marginali et quinta dorsali medio fere abbreviatis, quatuor dorsalibus exterioribus integris, suturali brevi, antice posticeque abbreviata, interdum a punctis modo impressis, jam distinctis jam confluentibus, formata. Stria humeralis levissima, lateralis et terminalis distinctæ: fossula lateralis profunda, impunctata. *Sternum* ad os fere prominens apice rotundatum. *Abdomen* subtilissime punctulatum, ut in congeneribus prominens. *Pedes* validi compressi, tibiis intermediis et posticis multispinosis, extus profunde punctulatis, anticis magis dilatatis, extrorsum profunde transversim rugosis, dentibus tribus magnis integris.

II. Hist. Inæqualis *ater, mandibula sinistra longiore, thorace cilitato, utrinque foveolato, tibiis anticis tridentatis.* Tab. II. f. 2.

Fabr. Syst. Elent. 1 *p.* 84. 2. *Sturm D. Faun.* 1. *p.* 86. 1. *Oliv. Ent.* 1. 8. *p.* 7. 4. *t.* 1. *f.* 3. *Schönh. Synon. Ins.* 1 *p.* 88. 3.

Habitat in stercore bovino Europæ australis, Africæ borealis, et Sumatræ Indiæ orientalis.

Ater, nitidus. *Caput*: mandibulæ in medio unidentatæ, dextra capitis longitudine, sinistra adhuc longiore; clypeus triangularis apice reflexus; frons planiuscula antice depressa, stria ordinaria; antennæ longitudine fere thoracis, basi nigræ, demum rufæ, clava fusca; palpi rufi. *Thorax* postice longitudine fere triplo, antice vix duplo

latior, pro receptione capitis parum modo emarginatus, supra convexus, fossula haud profunda laterali antice utrinque impressa, interdum leviter punctulata; superficies reliqua impunctata. Striæ laterales integræ; margo lateralis ciliis paucioribus brevibus facile deterendis adornata. *Sternum* ad ob prominens, apice rotundatum. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, versus apicem iterum angustata; convexa, stria marginali ab apice ad medium sese extendente, striis quatuor primis dorsalibus integris, quinta suturalique nullis, laterali terminalique distinctis; fossula laterali leviter punctulata. *Abdomen* subtilissime punctulatum. *Pedes* tibiis dilatatis, posticis et intermediis multispinosis, anticis dentibus tribus integris, validis, armatis. Magnitudo summa ab apice maxillæ sinistræ ad anum mensuram annexam figuræ æquiparat, sed inveniuntur etiam sæpe individua minora.

III. Hist. Major *ater, thorace ciliato striis integris, sterno acuminato, elytris striis dorsalibus internis suturalique nullis. Tab. II. f. III.*

Linn. Syst. Nat. I. II. p. 566 N:o 2. Fabr. syst. Eleuth. I p. 83. I. Oliv. Ent I. 8. p. 6. N:o 3. t. I. f. 4. a. b. Sturm D Fr. I. p. 190. 2. Schönh. Synon. Ins. I. p. 88. 2.

Habitat in stercore Europæ australis, et Barbariæ frequens.

Ater nitidus. *Caput* mandibulis æqualibus, clypeo profunde impresso, emarginato, antennis piceis, clava apice ferruginea. *Thorax* lon-

gitudine postice vix duplo latior, antice paulo angustatus, pro receptione capitis emarginatus, convexus, striis lateralibus duabus integris, a se invicem remotis, unde etiam exterior margini valde aproximata; cilia densa rufa marginem lateralem et anteriorem ornant; sternum antice acuminatum, ad os productum. *Elytra* thorace dimidio longiora, et antice latitudine ejus baseos, in medio parum dilatata, postice paulo angustata; convexa, stria terminali et laterali distincta, marginali in medio abbreviata striis tribus primis dorsalibus integris, reliquis striaque suturali nullis; fossula lateralis vix punctulata. *Abdomen* punctulatum. *Pedes* validi, tibiis posticis et intermediis multispinosis, dilatatis, anticis adhuc latioribus, dentibus tribus integris. Maxima individua a me visa mensuram figuræ annexam æquiparant, sed inveniuntur etiam dimidio minora.

Obs. Rudimentum striæ quartæ dorsalis elytrorum, a punctulis obsoletis, plus minusve confluentibus postice indicatum, sæpe adest, at rarius ultra medium extenditur.

IV. Hist. Afer *ater nitidus, thorace striis duabus, elytris novem integris.* *Tab. XIII. f.* VI.

Habitat in Guinea. Mus. D. Schumacher Prof. Hafniensis.

Caput fronte integra, stria ordinaria impressa; oculo acute armato subtilissime punctulata; mandibulæ æquales, longitudine H. Unicoloris, denticulo sat valido armatæ; clava antennarum picea. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice

duplo latior, convexus, striis duabus lateralibus integris, subrectis, postice tamen parum approximatis, exteriore a margine satis remota; oculo armato ubique, ut in H. Punctigero, punctatissimus. In unico individuo quod vidi, cilia quædam marginalia mihi haud observare licuit. *Elytra* thorace vix duplo longiora, et antice latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice iterum angustata; convexa, stria terminali, laterali, marginali, quinque dorsalibus suturalique æquali spatio a se invicem remotis, integris, stria tamen suturali et quarta quintaque dorsali reliquis paulo brevioribus. Oculo acute armato in interstitiis striarum puncta omnino minutissima temere sparsa observantur. *Pectus* et *Abdomen* nigro-picea haud profunde punctulata, sterno ad os usque producto, apice rotundato. *Pedes* obscure picei, tibiis intermediis et posticis dilatatis spinulosis, anticis adhuc latioribus, dentibus tribus integris, infimo minore. Magnitudo Hist. Unicoloris.

V. Hist. Senegalensis *ater, thorace striis integris, marginali elytrorum interrupto-dislocata, tibiis anticis bidentatis. Tab. IV. f.* V.

Habitat in Guinea. Mus. D. de Sehestedt.

Caput mandibulis æqualibus, fronte planiuscula, loco striæ ordinariæ impressione parum profunda prædita, cujus margo inferior occiput versus in medio parum ascendit ut angulum formet; antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, postice vero

duplo fere latior, parum convexus, striis lateralibus integris, postice non approximatis, exteriore, margini valde propinqua, antice etiam ambiente, quod non de interna valet. In individuis binis a me visis cilia nulla marginalia observavi. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice iterum angustata, parum convexa, antice puncto vel fossula exigua, vix nisi certo situ conspicua, supra striam quintam dorsalem impressa; stria prima, secunda et tertia dorsalis integra, reliquæ vero striaque suturalis in medio circiter, vel ante medium, abbreviatæ, et interdum punctulis modo parvis impressis constant. Stria humeralis valde obsoleta, marginali paulo ante medium antice interrupto-dislocata, quia ibi quasi abbreviata, at margini paulo propior, etiam paulo pone abbreviationem iterum incipit, et fere versus humeros sese tendit; fossula lateralis parum profunda, punctulata. *Pectus* et *Abdomen* crebre profundeque punctata, sterno ad os usque extenso, apice rotundato. *Pedes* tibiis intermediis et posticis dilatatis, spinulosis; anticis adhuc latioribus, bidentatis.

Obs. Hist. Unicolori affinis, sed differt corpore depressiore, dimidio majore, tibiis anticis bidentatis, stria externa thoracis integra antice ambiente, et stria marginali elytrorum aliter dislocata, nam in H. Unicolore pars ejus externa non ante abbreviationem partis internæ incipit.

VI. Hist. 4-maculatus *ater stria externa thoracis brevissima, elytris macula lunata rubra margini adnexa. Tab. XII. f. 1.*

Linn. syst. Nat. 2. 567. 6. Illig. Col. Bor. 1. 56. 8. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 92. 23. Ent. Heft. 1. 41. 4. et 2. 121. Gyll. Ins. Sv. I. 77, 4. Fabr. Syst. eleut. 1. 86. 16. Hist. lunatus. Oliv. Ent. 1. p. 10. 8. t. 1. f. 5. a. H. reniformis.

Habitat in stercore Sveciæ australis rarior, in Germania vero et Europa australi magis frequens.

Caput atrum nitidum, stria ordinaria frontali impressa; mandibulæ vix capitis longitudine, bidentatæ; clava antennarum jam fusca, jam apice rufescente. *Thorax* longitudine antice plus quam dimidio, postice plus quam duplo, latior, convexus, stria exteriore ante medium abreviata, rarius punctulis modo quibusdam indicata, rarissime omnino nulla: interiore integra, anticum etiam marginem ambiente. *Elytra* antice latitudine baseos thoracis, in medio vix dilatata, postice parcius angustata, convexa, stria marginali in medio abbreviata, striis tribus primis dorsalibus integris, reliquis vero aut omnino nullis, aut levioribus, sæpius punctulis quibusdam modo indicatis, in medio, vel ante medium abbreviatis. Stria suturalis omnino deest, et non nisi rarissime striola brevis apice observatur. In singulo elytro macula magna lunata rubra margini adnexa sæpe totum humerum occupat, et ultra medium extenditur. *Sternum* ad os usque productum, apice rotundatum. *Abdomen* punctatissimum. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis dentibus tribus validis, integris, intermediis et posticis spinosis.

Var. β.

Macula elytrorum lunata rubra in medio in-

terrupta, maculasque itaque duas formante, alteram baseos lunatam, alteram inæqualem pone medium.

Lin. Illig. Ent. Hist. Schönh. Gyllenh. loc. cit. var. β. Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 88. 24. Hist. 4. maculatus.

Var. γ.

Elytris atris, macula modo minuta obsoleta postica rubra.

Var. δ.

Elytris totis nigris.

Varietates hæ omnes, colore elytrorum excepto, simillimæ, simulque cohabitant, sed rarius occurrunt, at var. γ. rarissima, cujus non nisi unicum specimen, in musæo meo conservatum, unquam vidi.

Obs. Unicum individuum var. δ. vidi stria marginali elytrorum integra.

VII. Hist. Chinensis *ater, thorace ciliato impresso, stria externa medio abbreviata, interna antice interrupta, elytris stria suturali nulla. Tab. II. f. 5.*

Schönh. Synon. Ins. 1. p. 88. 5. t. 2. f. 2.

Habitat in India orientali, China.

Totus ater, parum niditus, immaculatus. *Caput* mandibulis illo paulo longioribus, subæquali-

bus; fronte parum convexa, lineola ordinaria; antennarum clava fusca. *Thorax* antice pro receptione capitis emarginatus, latitudine vix longitudinis, fossula utrinque obsoleta laterali; postice duplo latior; stria externa in medio abbreviata, interna integra, antice tamen haud ambiente sed in medio interrupta; margo lateralis et anterior ciliis brevibus rufescentibus, facile deterendis, adornatus. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, postice vix angustata, in medio parcius modo dilatata; stria marginali in medio abbreviata, quatuor primis dorsalibus integris, quinta ante medium abbreviata, suturali nulla. *Pectus* et *Abdomen* profunde punctulata, sterno ad os producto, apice rotundato. *Pedes* tibiis valde dilatatis, posticis et intermediis spinosis, anticis dentibus tribus validis integris.

Obs. Supra ubique subtilissime punctatus, ut a D. Qvensel in Synon. Ins. Dom. Schönherr descriptus, mihi, lente licet fortiori, nunquam videri licuit.

VIII. Hist. **Orientalis** ***ater, nitidus, thorace ciliato æquali, stria externa brevi, interna antice ambiente, elytris stria suturali nulla. Tab. XIII. f. VII.***

Habitat in India Orientali, China. Dom. de Sehestedt.

Totus ater, nitidus, immaculatus. *Caput:* Mandibulæ æquales, longitudine capitis, intus dentibus binis minutis; frons parum convexa, lineola ordinaria integra, antennarum clava fu-

sca. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice duplo latior, transversus, stria externa laterali ante medium abbreviata, interna integra, antice ambiente; supra convexus, impressionibus nullis, margine laterali et anteriore ciliis brevibus rufescentibus facile deterendis; subtus sterno ad os usque producto, apice rotundato. *Elytra* statura præcedentis, eodemque modo striata. *Abdomen* articulo ultimo profunde, penultimo tenuiter punctato. *Pedes* picei, statura et arma omnino præcedentis.

Obs. Hist. Chinensi affinis, at differt magnitudine dimidio minori, corpore nitidiori, et thorace non impresso, stria vero externa breviore, interna antice integra, ambiente.

IX. Hist. Tropicus *oblongo-ovatus ater, thorace ciliato, stria externa abbreviata, elytris supra striis quatuor integris, tribus abbreviatis. Tab. II. f.* IV.

Habitat in Guinea. Dom. A. Afzelius.

Totus ater nitidus. *Caput* minutum, fronte planiuscula, lineola ordinaria antice ambiente, mandibulis brevibus, antennarum clava fusca. *Thorax* statura omnino Hist. Chinensis, margine antico et laterali ciliis brevissimis rufescentibus ornato, stria externa margini valde approximata, versus apicem abbreviata, interna integra. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, antice posticeque ejus baseos latitudine, in medio vero paulo dilatata, convexa, supra profunde septemstriata: stria nempe marginali in medio abbreviata, quatuor primis dorsalibus integris, quinta vero ante medium et suturali

paulo pone medium abbreviatis; fossula laterali impunctata. Sternum ad os prominens, apice rotundato. *Abdomen* crebre punctulatum. *Pedes* obscure picei, tibiis intermediis et posticis multispinosis, dilatatis, anticis adhuc latioribus, dentibus tribus integris validis.

Var. β.

Elytris striis tantum tribus primis dorsalibus integris, quarta quintaque, lineolis abbreviatis, vel punctulis modo quibusdam, postice indicatis.

Habitat cum præcedente, cui in reliquis simillimus.

Obs. Differt a sequente, cui affinis, præsertim thorace ciliato, corpore magis oblongo et stria marginali elytrorum haud interrupto-dislocata.

X. Hist. Unicolor *ovatus ater, thoracis stria externa abbreviata, elytrorum marginali interrupto-dislocata; tibiis anticis tridentatis. Tab. II. f. VII.*

Linn. syst. Nat. I. II. p. 567. 3. Fn. Sv. 440. Fabr. syst. Eleut. I. p. 84. 3. Oliv. Ent. I. 8. p. 7. 5. tab. I. f. I. a. b. c. Payk. Fn. Sv. I. p. 35. I. Gyllenh. Ins. Sv. I. p. 74. I. Schönh. synon. I. 89. 6. DeGeer Ins. 4. 342. I. tab. 12. f. 12. Entom. Hefte I. p. 31. I. tab. I. f. I.

Habitat in stercore et quisquiliis Europæ, ad Lapponiam usque frequens.

Totus ater nitidus. *Caput* fronte planiuscula, stria ordinaria integra; antennarum clava

fusca. *Thorax* antice longitudine paulo, postice vero plus duplo latior; convexus, stria exteriore margini laterali valde approximata, sæpius in medio, rarius vero paulo pone medium abbreviata, interiore integra, antice etiam ambiente; margine omni glabro, minime ciliato. *Elytra* thorace dimidio longiora, et antice latitudine ejus baseos, in medio valde dilatata, postice iterum angustata; convexa striis tribus primis dorsalibus integris, quarta vero in medio, quinta paulo ante medium et suturali fere in medio, abbreviatis; stria marginalis etiam fere in medio abbreviata, margini tamen adhuc propior in striola a priori distante iterum incipit et fere ad humeros quasi continuatur; fossula lateralis vix punctulata. *Abdomen* crebre punctulatum. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis tridentatis, dente extimo bifido.

Obs. Elytra versus apicem paulo impressa et interdum subtilissime punctulata. Individuum unicum vidi tibiis anticis modo bidentatis, dente nempe intermedio deficiente, et aliud tibia dextra bidentata, at sinistra tridentata, in reliquis vero H. Unicolori simillima, ut haud specie distincta, sed modo lusu naturæ orta videantur.

XI. Hist. Thoracicus *ater; thorace elytrorum longitudine, margine omni punctulato, elytris striis quatuor levissimis, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. II. f. VI.*

Habitat in America septentrionali.

Totus, niger parum nitidus. *Caput* oculo armato subtilissime punctulatum; frons stria

ordinaria integra; mandibula sinistra dextra paulo longior; antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vix dimidio latior, convexus, stria externa in medio abbreviata, interna integra, margine omni ciliis nullis, oculo vero armato subtilissime confertissime punctulato. *Elytra* thoracis longitudine, et antice latitudine ejus baseos, postice angustata; convexa, oculis nudis lævia, armatis, striola marginali in medio abbreviata, tribusque primis dorsalibus subintegris, introrsum arcuatis, omnibus obsoletis, levissimis; fossula laterali impunctata. *Sternum* ad os prominens, apice rotundatum. *Abdomen* punctulatum. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis valde spinulosis, anticis quadridentatis dentibus integris.

XII. Hist. Cadaverinus *ater, striis thoracis margine remotis subintegris, elytris striis quinque integris, fossula laterali punctatissima, tibiis anticis sex-denticulatis. Tab. II. f.* VIII.

Ent. Hefte 1. *p.* 54. 10. *t.* 1. *f.* 4.

Schönh. Synon. Ins. 1. *p.* 90. 9. *H. brunneus.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. *p.* 86. 15. *Hist. brunneus.*

Latreille Gen. Crust. et Ins. II. *p.* 47. 1. *H. unicolor.*

Gyllenh. Ins. Sv. 1. *p.* 75. 2. *H. brunneus.*

Habitat in cadaveribus, stercore, quisquiliis, et succo adscendente arborum sauciatarum tempore vernali, in Europa frequens.

Totus ater nitidus. *Caput* fronte stria ordinaria, antennarnm clava fusca. *Thorax* statura omnino H. Unicoloris sed stria externa magis a margine remota; striæ sæpius subintegræ, interdum vero jam exterior, jam interior paulo abbreviata, interstitio striarum sæpius lævi, interdum, oculo armato, subtilissime punctulato. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio dilatata, postice iterum angustata; convexa stria marginali et quatuor primis dorsalibus integris, quarta tamen paulo breviore, quinta dorsali et suturali sæpius ante medium abbreviatis; ad apicem foveola transversa leviter impressa adest; fossula lateralis crebre et profunde punctulata, unde etiam stria lateralis haud discerni potest: *Pectus* et *Abdomen* crebre punctata. *Pedes* tibiis dilatatis, posticis et intermediis spinulosis, anticis denticulis minutis, sæpius sex, interdum quinque, integris.

Var. β.

Stria etiam quarta dorsali paulo ante medium interrupta vel abbreviata. Habitat cum præcedente, cui simillimus.

Obs. Puncta vaga in fronte vel thorace sat profunde excavata interdum occurrunt. Magnitudo valde variat: nempe ab illa quam linea figuræ annexa exprimit, ad dimidio minorem.

XIII. Hist. M e r d a r i u s *ater, thorace striis integris postice coëuntibus, elytris striis quinque integris, fossula laterali impunctata, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. III. f. 1.*

Ent. Hefte. 1. *p.* 39. *N:o* 3. *t.* 1. *f.* 3. *Schönh. Synon. Ins.* 1. *p.* 92. 22.

Habitat in stercore Europæ et Americæ borealis.

Totus ater nitidus. *Caput* fronte stria ordinaria, antennarum clava ferruginea. *Thorax* postice longitudine duplo, antice dimidio, latior, parum convexus, striis lateralibus profundis, margine remotis, integris, postice coeuntibus, interstitio striarum crebre punctulato. *Elytra* longitudine fere dupla thoracis, anticeque ejus latitudine, in medio parcius dilatata; parum convexa, stria marginali quatuorque primis dorsalibus integris, quarta tamen reliquis paulo breviore, quinta vero paulo ante medium et suturali in medio abbreviatis; ad apicem foveola transversa leviter impressa; fossula laterali impunctata. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* picei, tibiis valde dilatatis, intermediis et posticis multispinosis, anticis 4-dentatis, dente apicis bifido.

Obs. Differt a H. Cadaverino statura angustiore, fossula laterali impunctata, clava antennarum ferruginea, et tibiis anticis quadridentatis.

E specimine optime conservato a Dom. Müller mihi benevole misso, larvam hujus speciei sic descripsi: *Caput* obscure piceum, corneum, valde depressum sulculis utrinque duobus, altero margini propiori, altero fere in medio; frons impressa; mandibulæ validæ, arcuatæ, intus denticulo notatæ; palpi quatuor exserti: anteriores articulis quinque, posteriores articulis tribus, basi piceis, apice albido-diaphanis, articulo primo longiori, intermediis

brevibus, subfiliformibus, vix extrorsum crassioribus, apicis tenuiore, magisque cylindrico. *Antennæ* breves, biarticulatæ, articulis basi piceis, apice albido-diaphanis, primo tereti, basi apiceque paulo incrassato, secundo breviore, basi angustiore, apice incrassato, oblique truncato, uno latere denticulo minimo armato; oculi valde depressi ut difficile observentur. Segmentum primum (*thorax*) corneum, planum, piceum, longitudine latius, antice transversum, postice subrotundum, linea dorsali sulcoque utrinque laterali, antice abbreviato, impressis. Segmenta reliqua sordide albida, rugis undulatis obsita, glabra, pilis quibusdam rarioribus brevibus, in series transversales quasi disgestis, exceptis; subtus hæc segmenta omnia utrinque in papillas abeunt, quibus larva movendo pro pedibus utitur. Segmentum anale apice ex papillis duabus, fila dua picea biarticulata exserit, articulis longitudine æquali: primo crassiore, apice rotundato, pilis quibusdam obsito, secundo angustiore apice pilis duobus terminato. *Pedes* sex in segmentis tribus primis positi, breves, triarticulati: articulo primo brevissimo, crassiore, papilliformi, secundo longiore, tenuiore, cylindrico, ultimo adhuc tenuiore, apice in unguem tenuissimum longum incurvum, terminato. Tab. I. f. 1.

Larva hæc, secundum observationem Dom. Müller, habitat in stabulis in fimo bovino nondum omnino putrefacto vel exsiccato, at metamorphosi, versus finem æstatis, instante, altius in fimum sicciorem adscendit, et cellulam ovalem intus levissimam sibi preparat, ibique in

nympham transit, retinens tamen adhuc cutem depositam larvæ, in summo abdominis apice.

Nympha larva brevior et crassior, partes fere omnes Histri declarati, ut antennas, elytra alas, pedes etc., more reliquarum nympharum Eleuteratorum compressa, ostendat. *Caput* declivum, sulcis nullis longitudinalibus. *Thorax* longitudine thoracis ipsius insecti declarati, stria laterali exteriori jam impressus. *Abdomen* breve, ano corniculis duobus brevibus, basi crassioribus, apice acuminatis. *Color* dilute fusco-albicans. Tab. I. f. 11.

XIV. Hist. Punctifer *ater, thorace punctulato, stria externa margini proxima, abbreviata, elytris striis quatuor dorsalibus integris, marginali interrupto dislocata. Tab. IV. f. 1.*

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. Gyllenhal.

Totus ater nitidus. *Caput* subtilissime punctulatum, mandibulis longitudine capitis, fronte stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior; convexus, stria externa margini valde approximata, jam in medio, jam paulo pone medium abbreviata, interna integra, remota, antice etiam ambiente: oculo armato ubique confertissime subtilissime punctatus. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, versus medium dilatata, postice iterum angustata; convexa striis quatuor primis dorsalibus integris, quinta ante medium et suturali paulo pone medium abbreviatis; stria marginalis ab apice paulo ultra medium

versus striam levissimam humeralem ascendit, ibique interrupto-dislocata, nam margini propior iterum incipit ut in H. Unicolori, et fere ad basin protenditur; fossula laterali lævi; Oculis acute armatis puncta confertissima, præsertim introrsum temere sparsa observantur, sed minutissima et thoracis adhuc leviora. *Pectus* et *Abdomen* punctata, fossula in penultimo segmento abdominis utrinque impressa. *Pedes* obscure picei, tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis denticulis quinque minutis, apicis bifido; certo vero situ denticuli quidam adhuc multo minores his interjecti, oculis armatis observantur.

Obs. In unico individuo punctum majusculum in medio fere disci thoracis utrinque impressum vidi. Pars anterior dislocata striæ marginalis in figura haud expressa, quia margini nimis propinqua.

XV. Hist. Guinensis *ater, elytris striis tribus dorsalibus integris, secunda tertiaque connexis, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. III. f. 11.*

Habitat in Guinea. Dom. A. Afzelius.

Supra ater nitidus subtus, piceus. *Caput* fronte planiuscula, stria ordinaria impressa. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vero paulo plus quam dimidio longior, convexus, impunctatus, striis approximatis, interiore integra, exteriore pone medium abbreviata. *Elytra* thorace haud dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice vix angustiora, in medio vero magis dilatata, stria marginali in medio abbreviata, prima secundaque dorsalibus integris, tertia vero ad basin incipiente, paulo

ante medium versus secundam flexa et illi conjuncta, brevi vero spatio relicto, iterum ab illa separata, ad apicem descendente. Stria quarta et quinta dorsales omnino desunt, suturalis levis in medio abbreviata; fossula lateralis impunctata. *Abdomen* punctulatum. *Pedes* obscure picei, tibiis intermediis et posticis valde dilatatis spinulosis, anticis adhuc latioribus dentibus quatuor integris, baseos minutissimo.

Obs. Cum non nisi unicum individuum hujus speciei vidi, accidere potest ut stria tertia dorsalis non semper cum secunda sese conjungat, sed usque ad apicem separata sese extendat, at notæ reliquæ nihilo minus ad speciem hanc determinandam sufficiunt.

Familia Secunda.

Elytris stria marginali nulla.

XVI. Hist. Bipunctatus *ater, elytris rubris, puncto discoidali, macula subqvadrata baseos, margineque omni, exteriore excepto, atris.* *Tab. XII. f.* IV.

Habitat in Africa boreali.

Caput fronte plana stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine antice vix dimidio, postice vero plus duplo latior, convexus, stria externa ante medium abbreviata, interna integra, antice ambiente. *Elytra* antice thoracis latitudine baseos, in medio paulo dilatata, postice iterum angustata, striis tribus primis dorsa-

libus integris, quarta vero quintaque dorsali et stria suturali vel nullis, vel punctulis modo aut rudimentis striolarum postice indicatis, fossula lateralis impunctata, stria lateralis et terminalis distinctis; convexa, rubra, nitida, margine antico tenuissime, postico late atro, suturali itidem atro, in maculam magnam subquadratam communem versus scutellum dilatato; præterea punctum magnum distinctum atrum in medio disci, basi tamen paulo propius, adest. *Pectus* et *abdomen* punctulata. *Sternum* ad os prominens, apice rotundatum. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis tridentatis, dente apicis sæpius bifido.

Obs. Magnitudo variat ab illa per lineam in tabula expressam, ad dimidio fere minorem.

XVII. Hist. Quadrinotatus *ater, nitidus, elytris macula humerali discoidalique rubris, sterno emarginato.* Tab. XII. f. III.

Illig. Col. Bor. 1. 58. 10. Ent. Heft. 1. 46. 6. Gyll. Ins. Sv. 1. p. 78. 6. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 92. 24.
Payk. Fn. Sv. 1. p. 36. 2. Hist. 4 maculatus.
DeGeer Ins. 4. 344. 3. Hist. 4 maculatus.

Habitat in stercore Europæ mediæ, in Svecia rarius.

Caput fronte parum convexa stria ordinaria, antennarum clava apice rufescente. *Thorax* postice, non vero antice longitudine duplo latior, convexus, striis jam subintegris, jam ex-

terna in medio abbreviata. *Elytra* thorace plus quam dimidio longiora, convexa, striis duabus primis dorsalibus integris, tertia sæpius integra, rarius postice in medio fere abbreviata, quarta quintaque et suturali jam omnino nullis, jam punctulis modo quibusdam posticis plus minusve indicatis; fossula lateralis impunctata; atra nitida macula parva humerali et altera oblique posita in medio disci rubris. *Pectus* et *abdomen* subtilissime punctulata, sterno ad os prominente apice emarginato. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis tridentatis, dente extimo summo apice bifido.

Obs. unicum individuum punctulis quibusdam posticis quasi rudimentum striæ marginalis indicantibus, vidi.

Var. β.

Maculis elytrorum oblique confluentibus.

Habitat cum præcedente, cui simillimus.

XVIII. Hist. Sinuatus *ater, elytris macula lunata discoidali rubra humeris adnexa, dente apicis tibiarum anticarum bifido. Tab. XII. f. 11.*

Payk. Fn. Sv. 1. p. 37. 3. Ent. heft. 1. p. 44. 5. et 2. 121. Sturm. Fn. 1. 201. 7. t. 17. f. a. A. Gyll. Ins. 1. Sv. p. 78. 5. Schönh. syn. 1. p. 93. 25.

Habitat in stercore Europæ, in Svecia rarius.

Totus nitidus. *Caput* fronte stria ordinaria; antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine

antice dimidio postice duplo latior, convexus, stria externa vix medium attingente, interna integra. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, striis tribus primis dorsalibus integris, quarta quintaque brevissimis, sæpius e punctulis modo quibusdam indicatis, suturali paulo longiore, interdum ultra medium protracta, fossula laterali vix punctata; atra, nitida macula media longitudinali lunata rubra, sinu suturam respiciente, nullum tamen marginem, humerali superiori excepto, attingente. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima, sterno apice rotundato. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis tridentatis, dente extimo bifido, intermediis et posticis spinulosis.

Obs. Differt ab H. 4-maculato, magnitudine minori, stria marginali nulla, margine exteriore elytrorum nigro, et dente extimo tibiarum anticarum bifido.

Var. β.

Stria externa thoracis subintegra, tibiis anticis bidentatis. Tab. XII. f. v.

Habitat in Italia.

Simillimus præcedenti; dens infimus tibiarum forte detritus.

XIX. Hist. Javanicus *ater stria externa thoracis abbreviata, elytris striis externis dorsalibus integris, suturali utrinque abbreviata. Tab. IV. f. 11.*

Habitat in insula Java Indiæ orientalis. Dom. Thunberg. In Tranquebaria Dom. de Sehestedt.

Totus ater nitidus, antennarum clava ferruginea, fronte stria ordinaria. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, convexus, stria exteriore medio fere abbreviata, interiore integra, antice ambiente. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio valde dilatata, postice iterum angustata; convexa, stria humerali levissima, quatuor primis dorsalibus integris, quarta tamen antice paulo breviore, quinta puncto modo uno alterove postice indicata, suturali brevi, antice posticeque abbreviata, laterali et terminali distinctis; fossula lateralis vix punctulata. *Sternum* ad os prominens, apice rotundatum. *Abdomen* subtus ad latera punctatum, supra annulis binis prominulis lævioribus, margine tamen antico et foveola utrinque laterali annuli penultimi, punctulatis. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinosis, anticis valide tridentatis, dentibus integris.

Obs. Stria quarta dorsalis elytrorum interdum pone medium interrupta, et punctulis modo impressis postice indicata.

XX. Hist. Americanus *ater, thoracis stria externa abbreviata, elytris striis omnibus dorsalibus integris, fossula laterali nulla. Tab. IX. f. 1.*

Habitat in America septentrionali. Dom. Ljung.

Ater nitidus. *Caput* fronte planiuscula antice punctulata, stria ordinaria; antennæ rufæ. *Thorax* longitudine antice fere dimidio, postice plus duplo latior, convexus, stria exteriore

ante medium abbreviata, interiore integra. *Sternum* ad os prominens, apice rotundatum. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, postice angustiora, striis omnibus dorsalibus integris, introrsum flexis, suturali antice posticeque paulo abbreviata, humerali levissima, laterali et terminali distinctis. *Abdomen* punctulatum. *Pedes* rufo-picei, tibiis intermediis et posticis dilatatis, spinulosis, anticis adhuc latioribus tridentatis, dentibus integris.

XXI. Hist. Bissexstriatus *ater, stria externa thoracis brevissima, elytris striis externis integris, internis abbreviatis, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. III. f.* III. *et* IV.

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 84. 4. Schönh. Synon. 1. p. 89. 7.
Ent. Heft. 1. p. 59. 12. tab. 1. f. 7. Hist. duodecimstriatus β.
Gyll. Ins. Sv. 1. p. 79. 7. H. parvus.

Habitat in stercore et quisquiliis Europæ passim.

Ater, nitidus. *Caput* fronte parum convexa stria ordinaria; antennarum clava ferruginea. *Thorax* longitudine antice dimidio, postice haud duplo latior, convexus, stria externa brevissima, sæpe in angulo modo antico observanda, interna integra. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, in medio dilatata, postice angustata; parum convexa, stria humerali levissima, primis quatuor dorsalibus integris, quinta ante medium, suturali in me-

dio abbreviatis, fossula laterali haud profunda, parum punctulata, stria laterali et terminali distincta. *Abdomen* crebre punctatum. *Pedes* picei, tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis quadridentatis, dente extimo bifido.

Obs. Tibiæ anticæ in omnibus meis individuis 4-dentatæ, licet dente baseos minuto, interdum vix nisi certo situ visibili. Occurrit, at rarissime, stria externa thoracis vel interrupta, vel punctulo modo indicata, vel omnino nulla; sed minime hæ varietates specie distinctæ, quia in reliquis simillimæ. Tribum igitur tantummodo hanc cum sequente in ordine naturali conjungunt, quod in familia priore etiam de H. 4-maculato valet.

Var. β.

Elytris stria quarta dorsali etiam abbreviata.

Habitat cum præcedente, cui simillimus, sed sæpius dimidio major.

TRIBUS SECUNDA.

Thoracis lateribus unistriatis.

Familia Prima.

Elytris stria marginali nulla.

XXII. Hist. Bipustulatus *ater, nitidus, fronte thoraceque foveolatis, elytris macula media determinata rubra, tibiis anticis tridentatis. Tab. XIII. f. 1.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 87. 20. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 94. 30.

Habitat in India orientali.

Statura sequentis at major, ater nitidus. *Caput* mandibulis exsertis, sinistra paulo majore, fronte antice valde retusa vel foveolata, stria ordinaria profunda, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vero plus duplo latior, convexus, stria laterali postice paulo modo abbreviata; in angulo utrinque antico foveola subrotunda punctulata. *Elytra* antice longitudine plus dimidio latiora, in medio dilatata, postice iterum angustata, parum convexa; striis omnibus dorsalibus integris, suturali antice posticeque abbreviata; fossula lateralis impunctata, stria humeralis omnino levissima, locoque striæ marginalis punctum modo in medio impressum; color, ut in reliquo corpore, etiam in elytris, ater, sed macula media discoidalis, determinata, rubra. *Pectus* et *Abdomen* profunde punctata, sterno ad os fere protracto, apice rotundato. *Pedes* tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus, dentibus tribus integris, validis.

Obs. Sequenti affinis, sed abunde differt magnitudine dimidio majore, fronte retusa, stria laterali thoracis longiore, suturali elytrorum postice etiam abbreviata, tibiis anticis tridentatis, maculaque rubra elytrorum aliter locata.

XXIII. Hist. Bimaculatus *ater thorace foveolato, elytris striis dorsalibus integris, suturali abbreviata, postice diagonaliter rubris. Tab. III. f.* VI.

Linn. syst. Nat. 1. 11. p. 567. N:o 5. Fn. Sv. 442. Payk. Fn. Sv. 1. p. 38. 5.
Ent. Heft. 1. p. 50. 8. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 80. 8.
Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 88. N:o 23. Ibid. N:o 22. Hist. erythropterus.
Schönh. Syn. Ins. 1. p. 94. N:o 33. Ibid. N:o 32. H. erythropterus.
Oliv. Ent. 1. 8. p. 11. N:o 10. t. 2. f. 12. Hist. erythropterus.

Habitat in Stercore Europæ et Indiæ orientalis.

Ater, nitidus. *Caput* fronte parum convexa, stria ordinaria, antennis ferrugineis clava dilutiori. *Thorax* longitudine antice dimidio, postice vix duplo latior, stria laterali a margine remota, postice paulo pone medium abbreviata, antice ambiente; in angulo antico utrinque foveola impressa, punctulata, subrotunda. *Elytra* thoracis latitudine baseos at dimidio longiora, parum convexa, striis omnibus dorsalibus integris, suturali in medio abbreviata; atra nitida, ab angulo fere anteriore exteriore ad angulum interiorem posteriorem diagonaliter rubra; fossula lateralis parum profunda, impunctata. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* picei, tibiis dilatatis, anticis 4-dentatis, dentibus integris, intermediis posticisque spinulosis.

Obs. H. Erythropterus ab H. Bimaculato nullo modo differre ex ipso museo Dom. de Sehestedt, ubi a Fabricio descriptus fuit, certior factus sum.

XXIV. Hist. Connectens *atro-subaeneus, nitidus, elytris striis tribus internis dorsalibus nullis, suturali integra extrorsum flexa. Tab. IV. f.* VI.

Habitat ad Rio Janeiro. Mus. Dom. Gyllenhal.

Totus ater parum subæneo-nitidus. *Caput* fronte punctulata, stria ordinaria nulla, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vero plus duplo latior, convexus, stria laterali pone medium abbreviata, antice ambiente; lateribus et summo margine postico punctulatis, disco margineque medio antico lævissimis. *Elytra* thorace haud duplo longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio valde dilatata, postice iterum angustata; convexa, versus apicem crebre, sed tenuiter, punctulata, stria humerali levi, prima secundaque dorsalibus integris, tertia vero quarta quintaque nullis, suturali integra, apice antico extrorsum flexo; fossula laterali nulla, stria laterali distincta, terminali vix observanda. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* tarsis piceis, tibiis intermediis et posticis parum dilatatis spinulosis, anticis latioribus multicrenatis.

Obs. Hæc species, elytris postice punctulatis, sectionem primam cum familia secunda tribus primæ sectionis secundæ optime jungit.

XXV. Hist. Duodecimstriatus *elytris striis dorsalibus omnibus suturalique integris, tibiis anticis 3-dentatis, dente extimo bifido.* *Tab. III. f.* V.

Payk. Fn. Sv. 1. p. 39. 6. Schönh. Synon. Ins. 90. 8.

Ent. Heft. 1. p. 58. N:o 12. tab. 1. f. 6. H. 12-striatus var. a.

Habitat in stercore, quisquiliis et truncis arborum emortuarum Europæ et Africæ borealis.

Ater, nitidus. *Caput* fronte subconvexa; stria ordinaria, antennis ferrugineis. *Thorax* longitudine antice paulo modo, postice duplo latior, convexus, stria laterali margine remota, integra, antice ambiente. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice paulo angustata; parum convexa, supra striis 6 integris, quinta dorsali suturalique prope basin arcuatim connexis, fossula laterali impunctata. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* picei, tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis tridentatis, dente extimo bifido.

Obs. Unicum individuum vidi tibiis anticis subquadridentatis, dente tamen intimo minutissimo.

Var. β.

Striola marginali brevi plus minusve distincta.

Payk. Fn. Sv. 1. 40. var. β.
Gyll. Ins. Sv. 1. 83. 11. Hist. 14-striatus.

Habitat cum præcedente in Svecia magis frequens; ex insula St. Bartholomei Indiæ occidentalis etiam a Dom. Forsström mihi missus.

Simillimus omnino præcedenti, nec, me judice, specie distinctus; individua enim plurima vidi punctis modo duobus tribusve loco striæ marginalis, alia punctis quibusdam confluentibus, striam formare incipientibus, alia denique stria marginali omnino regulari, e medio elytrorum oriente, anteque apicem sæpius desinente.

Obs. In angulo striæ thoracis hac in varietate sæpius, non vero semper, puncta quædam majora

sunt impressa: unicum individuum vidi extimo dente tibiarum anteriorum integro. Species hæc hanc familiam cum sequente optime jungit.

Familia Secunda.

Elytris stria marginali.

XXVI. Hist. Purpurascens *ater, elytris disco rubro, striis quatuor dorsalibus integris, quinta suturalique abbreviatis, tibiis anticis quinque-dentatis. Tab. III. f.* VII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. *p.* 87. 18. *Ent. Heft.* 1. 51. 9. *Payk. Fn. Sv.* 1. *p.* 38. 4. *Illig. Kaef. Preus.* 1. 54. 5. *Schönh. syn. Ins.* 1. 93. 28. *Gyll. Ins. Sv.* 1. *p.* 81. 9.

Habitat in stercore et quisquiliis Europæ sat frequens.

Ater, nitidus. *Caput* fronte parum convexa stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, stria laterali a margine remota, integra, profunda, antice etiam ambiente. *Elytra* thorace paulo plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice iterum angustata; convexa, stria marginali antice parum abbreviata, quatuor primis dorsalibus integris, quinta dorsali ante medium, et suturali medio, abbreviatis; fossula laterali impunctata, stria laterali et terminali distinctis; atra, nitida, macula magna indeterminata discoidali rubra. *Pectus* et *Abdomen* crebre profundeque punctata. *Pedes* pi-

cei, tarsis dilutioribus, tibiis dilatatis, anticis quinque-denticulatis, intermediis et posticis spinulosis.

Var. β.

Elytris macula rubra fere totum discum tegente.

Var. γ.

Elytris totis nigris.

Habitant hæ varietates cum priori, cui habitu et statura simillimæ, sed var. β. *rarius occurrit, et* γ. *rarissime.*

XXVII. Hist. Carbonarius *ater elytris striis septem, internis abbreviatis, fossula laterali punctatissima, tibiis anticis 5-6dentatis. Tab. III. f.* VIII.

Ent. Heft. 1. *p.* 54. 10. *tab.* 1. *f.* 4. *Schönh. Syn.* 1. *p.* 90. 9. *Gyll. Ins. Sv.* 1. *p.* 82. 10.
Fabr. Syst. Eleut. 1. 85. 5. *Hist.* 12-*striatus. Ibid. N:o* 6. *H. impressus.*

Habitat in Europa et Africa boreali in stercore frequens: in India orientali Dom. de Sehestedt.

Totus ater nitidus; *Caput* fronte parum convexa, stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine antice paulo tantum, postice vero duplo latior; convexus, stria laterali a margine remota, profunda, integra, antice etiam ambiente. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque ejus latitudine, in medio dilatata, postice iterum angustata; parum convexa, stria marginali tribusque dorsalibus pri-

mis integris, quarta jam fere integra, jam in medio, jam apici propiore, abbreviata, quinta sæpius brevissima, interdum punctulis modo nonnullis apice indicata, suturali jam in medio, jam pone medium, abbreviata; fossula laterali crebre et profunde temere punctulata, ut stria lateralis haud discerni possit. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis denticulis quinque vel sex minoribus, apicis bifido. Magnitudo variat ab illa in figura expressa, ad dimidio fere minorem.

Obs. Unicum individuum inveni dentibus modo quatuor; reliqui forsan detriti, ut sæpe hoc in genere accidit. Puncta quædam profundiora in fronte et thorace sæpius vidi, etiam puncta unico modo lateri impressa, unde illa casu orta existimo, quod etiam in H. Unicolore et Cadaverino observavi; plane incertum igitur esset cui speciei Hist. Impressus Fabricii sit tribuendus, cum tantummodo punctis binis frontalibus ab illo celeb. Auctore distinguatur, nisi in Musæo Dom. de Sehestedt hanc speciem pro Hist. Impresso, a Fabricio determinatam, ipse vidissim. Valde affinis H. Carbonarius est H. Cadaverino, sed differt præsertim thoracis lateribus unistriatis, nec ullis individuis intermediis cum illo jungitur. Ab H. Purpurascente, cui etiam persimilis, differt sæpius colore, et semper fossula laterali profunde punctulata.

XXVIII. Hist. Stercorarius *ater, elongatus, elytris supra striis tribus integris, quatuor brevissimis, fossula laterali lævi, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. III. f. III.*

Ent. Heft. 1. 54. 10. *tab.* 1. *f.* 5. *Schönh. Syn. Ins.* 1. *p.* 90. 10. *Payk. Act. Holm.* 1809. *p.* 229. *tab.* VII. *fig.* 1.

Habitat in stercore Europæ mediæ sat frequens, in Svecia rarissime.

Totus ater nitidus. *Caput* fronte parum convexa, stria ordinaria profunda, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine postice duplo, antice vix dimidio latior, convexus, stria laterali a margine remota, integra, antice etiam ambiente. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio vix dilatata, postice vix angustata, parum convexa, stria marginali brevissima, antice posticeque abbreviata, tribus primis dorsalibus integris, quarta et quinta brevissima, suturali paulo longiore tertiam tamen partem longitudinis elytrorum haud attingente, fossula laterali vix punctulata, stria laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctata. *Pedes* tibiis valde dilatatis, anticis quadridentatis, intermediis et posticis spinulosis.

Obs. Differt a præcedentibus præsertim latitudine corporis magis æquali, stria marginali elytrorum brevissima, tibiisque anticis quadridentatis.

XXIX. Hist. Fimetarius *ater, elytris macula discoidali subbiloba rubra, tibiis anticis quadridentatis. Tab. XI. f.* v.

Herbst Col. 4. 27. 3. tab. 33. 3. c. Ent. Heft. 1. 48. 7.
Fabr. Syst. Eleut. 1. 87. 17. Schönh. Syn. Ins. 193. 26. H. Sinuatus.
Illig. Kaef. Pr. 1. 55. 7. Hist. bipustulatus. Oliv. Ent. 1. p. 10. N:o 9. t. 3. f. 19. H. bipustulatus.

Habitat in stercore et cadaveribus Europæ mediæ.

Ater nitidus. *Caput* fronte planiuscula, stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine postice duplo latior, antice parum angustatus, convexus, stria laterali integra a margine remota, antice etiam ambiente. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio vix latiora, postice parum modo angustiora, stria marginali striisque tribus primis dorsalibus integris, quarta vero quintaque dorsali jam omnino nulla, jam punctulis modo quibusdam versus apicem designata, jam stria quarta, regulari licet, brevissima; stria suturali ante medium abbreviata; fossula laterali impunctata; parum convexa, atra, macula distincte determinata subbiloba, rubra in medio disci. *Pectus* et *Abdomen* punctata. *Pedes* tibiis valde dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis quadridentatis dente extimo bifido, intimo minuto.

XXX. Hist. Angulatus *ater subgibbosus, fronte impressa, striis obsoletis levissimis, tibiis anticis 4-dentatis. Tab. III. f.* IV.

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 85. 8. Schönh. synon. Ins. 1. p. 90. 14.

Habitat in America meridionali.

Totus ater nitidus. *Caput* fronte punctulata, in medio valde impressa, stria ordinaria profunda, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, postice duplo latior, convexus, stria laterali integra antice etiam ambiente, in angulo antico a margine satis remota, mox vero valde approximata; ocu-

lo armato margine laterali late, antico anguste, punctulato. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque paulo latiora, in medio valde dilatata, postice angustata, convexo-subgibbosa, lævissima, striolis modo tribus, plus minusve abbreviatis dorsalibus externis, vix nudis oculis conspiciendis, striaque marginali, in medio fere antice abbreviata, sæpius paulo evidentiori; fossula laterali nulla, stria laterali vero et terminali distinctis. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis quadridentatis, dente extimo bifido, intermediis et posticis spinosis.

Obs. Unicum individuum tibiis anticis subquinquedentatis vidi, intimo dente licet minutissimo.

Var. β.

Fronte vix impressa, tibiis anticis quinquedentatis.

Schönh. synon. Ins. 1. p. 90. 16. Hist. lævigatus.

Habitat in insula St. Bartholemei. Dom. Forsström.

Simillimus præcedenti, fronte subintegra et denticulatione tibiarum anticarum exceptis. Stria marginalis et puncta thoracis sæpius haud, quam in præcedente, obsoletiora; vix species distinctæ.

SECTIO SECUNDA.

Thorace striis longitudinalibus nullis.

TRIBUS PRIMA.

Corpore ovato.

Familia Prima.

Elytris striis dorsalibus quinque.

XXXI. Hist. Frontalis *niger, thoracis margine laterali punctato subreflexo, elytris stria marginali nulla, tibiis quadridentatis. Tab. IX. f.* VIII.

Payk. Fn. Sv. 1. p. 40. N:o 7. Ent. Hefte. 1. p. 96. N:o 22. Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 84. 10. Schönh. Synon. 1. p. 98. N:o 60. Sturm Fn. 1. 237. 24.

Habitat in Europa sub cortice arborum emortuarum minus frequens.

Supra totus ater, nitidus, modice convexus. *Caput* subtilissime punctulatum, clypeo toto fronteque in medio antico retusis; stria ordinaria evidens; antennæ ferrugineæ. *Thorax* postice transversus, longitudine duplo latior, antice sensim angustatus, pro receptione capitis emarginatus, in medio lævissimus, ad latera late profundeque punctulatus, margine reflexo elevato. *Elytra* thorace vix latiora at plus dimidio longiora, summo apice tenuiter punctulato; stria marginali nulla, tribus primis dorsalibus integris, quarta vero quintaque fere in medio antice abbreviata, stria suturali brevissima pone medium incipiente et longe ante apicem abbreviata, humerali distincta, laterali et terminali obsoletioribus, interstitio punctulato, fossula laterali nulla. *Pectus* et *Abdomen* punctulata, sterno usque ad os porrecto, apice rotundato. *Pedes* obscure picei, tarsis dilutioribus, tibiis omnibus dilatatis quadridentatis,

anticis dentibus integris, intermediis et posticis dente extimo bifido.

Obs. Variat rarius stria suturali punctulis modo quibusdam indicata, vel omnino nulla.

XXXII. Hist. Carolinus *piceus, thorace lævissimo, tenuiter marginato, elytris stria marginali nulla, tibiis anticis quinquedentatis. Tab. X. f. 11.*

Habitat in Carolina meridionali, unde ab amicissimo Dom. Bosc, pervestigatore Historiæ naturalis hujus regionis oculatissimo, mihi benevole communicatus.

Totus piceus nitidus. *Caput* impunctatum, clypeo fronteque in medio antico subimpressis, stria frontali transversa, antennarum clava fusco-ferruginea. *Thorax* postice, non vero antice, longitudine duplo latior, tenuiter marginatus, parum convexus, lævissimus. *Scutellum* minutissimum, punctiforme. *Elytra* thorace plus quam dimidio longiora, et in medio eo latiora, parum convexa, stria marginali nulla, tribus primis dorsalibus integris, quarta, quinta et suturali ante medium antice abbreviatis, stria humerali vix observanda, laterali terminalique distinctis punctatis; fossula laterali nulla. *Pectus* et *Abdomen* picea, punctulata. *Pedes* dilute picei, tibiis dilatatis, anticis quinquedentatis, dentibus binis apicis majoribus approximatis, a reliquis remotis; intermediis et posticis spinulis quibusdam minoribus armatis.

XXXIII. Hist. Fulvicornis *niger, elytris striis*

quatuordecim integris, marginali remota, interstitiis impunctatis, tibiis dilatatis, anticis ciliatis. Tab. X. f. VI.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 90. 35. Schönh. synon. Ins. 1. 97. 51.

Habitat in America meridionali.

Totus supra niger. *Caput* fronte convexa, stria ordinaria nulla, oculo etiam acute armato vix subtilissime punctulatum; antennarum clava ferruginea. *Thorax* longitudine antice vix dimidio, postice vero duplo latior, tenuiter marginatus, parum convexus, oculo armato ubique subtilissime confertissime punctulatus. *Scutellum* minutissimum punctiforme. *Elytra* thorace plus dimidio longiora et in medio latiora, parum convexa, supra striis omnibus septem integris, marginali remota, introrsum arcuata, reliquis subrectis, interstitiis impunctatis, stria humerali nulla, laterali et terminali vix distingvenda. *Pectus* et *Abdomen* nigropicea, subtilissime punctulata. *Pedes* picei, tibiis dilatatis, anticis spinis brevissimis numerosis ciliatis, intermediis et posticis spinis paucioribus, at paulo longioribus, armatis.

Obs. Individua mensura in tabella designata dimidio fere minora vidi, at in reliquis simillima.

XXXIV. Hist. Troglodytes *niger elytris striis dorsalibus integris, marginali suturalique abbreviatis, tibiis anticis bidentatis.* Tab. X. f. 1.

Habitat in India Orientali Dom. de Sehestedt.

Supra totus niger nitidus. *Caput* supra mar-

ginatum, oculo acute armato subtilissime punctatum, sæpius puncto utrinque frontali paulo majore; antennæ piceæ, clava dilutiore. *Thorax* postice, non vero antice, longitudine duplo latior, convexus, ad latera tenuiter marginatus, punctisque levissimis rarioribus adspersus. *Scutellum* minutissimum, punctiforme. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, convexa, punctato-striata, striis quinque dorsalibus integris, marginali vero et suturali antice in medio abbreviatis, humerali, laterali terminalique distinctis. *Pectus* et *Abdomen* obscure picea, punctulata. *Pedes* picei, tibiis parum dilatatis, anticis bidentatis, intermediis et posticis spinulis duabus exilibus armatis.

XXXV. Hist. Italicus *niger, pedibus ferrugineis, elytris convexioribus, striis omnibus integris, interstitiis punctulatis, tibiis subfiliformibus. Tab. X. f.* VIII.

Rossi Mant. Ins. 1. 14. 23. Hist. 12 striatus.

Habitat in Hetruria in truncis arborum emortuarum.

Supra niger nitidus. *Caput* clypeo integro, fronte supra oculos parum prominulo, minus tamen quam in Hist. Capensi; mandibulæ piceæ; antennæ articulo secundo insequentibus crassiore, clava ferruginea. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice vero plus duplo latior, convexus, crebre, sed leviter, punctulatus, margine laterali paulo elevato. *Scutellum* minutissimum punctiforme. *Elytra* thorace duplo longiora antice que latitudine ejus

baseos, in medio dilatata, postice iterum angustata; valde convexa, striis novem integris, interstitiis, præsertim introrsum, oculo acute armato, punctis rarioribus minutissimis temere adspersis. *Pectus* et *Abdomen* nigro-picea punctulata. *Pedes* ferruginei, tibiis subfiliformibus, vel vix dilatatis; anticis, oculo acute armato, ciliis brevissimis confertioribus, intermediis et posticis vero spinulis brevissimis paucioribus instructis.

Obs. A Cel. Dom. Prof. Rossi mihi olim sub nomine Hist. 12-striati missus. Statura, pedibus subfiliformibus, et secundo articulo antennarum crassiore, cum Hist. Sulcato convenit, et hanc sectionem cum ejusdem optime conjungit.

Familia Secunda.

Elytris striis dorsalibus quatuor minusve.

Subdivisio prima.

Elytris stria suturali a quarta dorsali remota.

XXXVI. Hist. Cruciatus *niger, elytris fulvo-testaceis, summo margine antico, sutura, macululaque irregulari communi atris. Tab. XII. f.* VII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 87. 19. Schönh. Syn. Ins. 1. 94 29.

Habitat in Africa boreali.

Caput tenuiter marginatum, fronte convexa, profunde punctulata, antennarum primo articulo crasso nigro, septem insequentibus, minutis

ferrugineis, clava vero crassa, globosa, ferruginea. *Thorax* antice latitudine paulo modo, postice plus duplo latior, ad latera profunde punctatus, antice foveola utrinque obsoleta; oculo armato tenuiter, sed late, punctis crebre adspersus, spatio brevi postico lævissimo. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice sensim angustata, ubique punctatissima, introrsum tamen punctis minoribus; stria suturali antice apice modo abbreviata, marginali et quatuor primis dorsalibus a basi ad medium fere productis, ibique abbreviatis; parum convexa, fulvo-testacea, margine antico, sutura, maculaque magna irregulari communi atra, cujus pars posterior quasi rhomboidem in medio format; fossula laterali nulla. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctata. *Pedes* tibiis piceis, intermediis et posticis parum dilatatis spinulosis, anticis latioribus, dentibus sex integris.

Obs. Stria marginalis et prima dorsalis sequentibus latiores, et stria secunda dorsalis reliquis paulo longior.

Var. β.

Elytris fulvo-testaceis, summo margine antico, sutura, maculaque communi subscutellari subquadrata, atris.

Habitat cum præcedenti, cui simillimus, sed parte posteriore maculæ irregularis communis seu rhomboide nigro, caret. Interdum puncto humerali piceo hæc varietas notatur.

Obs. Hanc speciem Hist. Cruciatum verum Fabri-

cii esse, tam ex Musæo Dom. de Sehestedt, a Fabricio ipso ordinato, convictus sum, quam ex litteris cel. Dom. Latreille, qui individuum Hist. Cruciati a Fabricio descriptum in Mus. Dom. Desfontaines, vidit.

XXXVII. Hist. Interruptus *atro-æneus, elytris fascia transversa, inæquali, dentata, medio interrupta, albido-flavescente. Tab. XII. f.* VIII.

Habitat in Oriente.

Supra nigro-æneus nitidus, subtus magis nigricans. *Caput* fronte convexa, punctulata, antennarum primo articulo nigro, intermediis ferrugineis, clava fusca. *Thorax* antice paulo modo, postice plus duplo longitudine latior; convexus, antice utrinque profunde impressus, margine antico posticoque tenuiter, laterali vero late punctulato, disco lævi. *Scutellum* punctiforme. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice sensim angustata, convexa, nigro-ænea; fascia transversa lata, inæquali dentata, versus suturam abbreviata, albido-flavescente. Fascia hæc, et pars posterior elytrorum usque ad striam suturalem, crebre temere punctulatæ; pars anterior autem lævis, punctulis quibusdam baseos et rugulis in interstitiis primæ, secundæ tertiæque striæ dorsalis, exceptis. Stria suturalis antice parum modo abbreviata; stria prima, secunda et quarta dorsalis a basi ad medium excurrunt, tertia vero multo brevior est. Stria marginalis brevis, postice vix medium attingit, et antice cum stria humerali sese jungit; stria late-

ralis et terminalis distincta. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctulata. *Pedes* nigri tarsis piceis, tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinosis, anticis latioribus, sexdenticulatis.

Obs. A cel. Dom. Sturm mihi, sub nomine *Hist. Biguttati Dom. Steven*, benevole missus, at descriptio hujus auctoris non bene quadrat *)

Var. β.

ater, elytrorum fascia fulva.

*) Descriptionem Hist. Biguttati, quam in *Memoires de la Société des Naturalistes de Moscow*, tom. 1. p. 159. inseruit Dom. Steven, hic comparationis gratia transscribam.

Hist. *Biguttatus*: ater, elytris oblique striatis, puncto elytrorum medio luteo.

Desc. *Caput* congenerum, thorace receptum, deflexum. *Thorax* longitudine duplo latior, antice pro capite excisus, ater, disco nitidissimo, margine opaco, postico tenuissime, lateribus vero late, punctatis; in singulo angulo ubi desinit margo punctatus, punctum minutum excavatum. *Scutellum* minutissimum nigrum. *Elytra* antice (nec postice) thoracis latitudine, et duplo fere longiora, abdomine tamen multo breviora, atro-aenea, nitidissima, postice late punctata, puncto unico juxta suturam parum majore. Versus angulum externum anteriorem lineae quinque oblique exaratae, medium elytri haud attingentes, interstitio inter striam secundam et tertiam ruguloso; stria quarta puncto majusculo excavato. Stria suturalis subtilissima, integra. In medio fere elytro sub striis intermiis guttula intense lutea. *Pectus*, *Abdomen* et *Pedes* nigra, nitida, tarsis solis piceis. Magnitudo et statura Hist. Semipunctati. Habitat rarissimus in fino equino Rossiae australis.

Habitat in Oriente, ubi a Dom. Olivier inventus, mihique nuper a celeberrimo hoc Entomologo, benevole sub nomine adaequato Hist. Interrupti, communicatus.

Simillima hæc varietas est præcedenti, sed interdum paulo major, et thorax, discum versus, magis punctulatus.

XXXVIII. Hist. Quadriguttatus *atro-subaeneus, nitidus, elytris atro-subcoerulescentibus, punctis quatuor albis, pedibus rufescentibus. Tab. XIII. f. 11.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. 89. 27. Schönh. synon. 1. 97. 40.

Caput fronte convexa, punctata, mandibulis validis brevibus, antennis rufis, clava concolore. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, postice duplo latior, tenuissime marginatus, convexus, antice lateribusque crebre punctatus, disco vero postico, marginisque postici medio, lævissimis; rudimentum foveolæ anticæ utrinque adest. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, ante medium paulo dilatata, postice iterum angustata; atro-subcoerulescentia, punctis utrinque duobus albo-subflavescentibus, altero in marginis exterioris fere medio incipiente et retrorsum sese extendente, sinum parvum conficiente, altero minore, rotundiore, interno, apicique propiore, a margine tamen postico et suturali omnino remoto. Stria marginalis et quatuor dorsales postice in medio abbreviatæ, quarta vero dorsalis antice etiam abbreviata. Stria suturalis antice ad imam basin modo abbreviata, ut cum quarta dorsali

non coëat. Stria lateralis et terminalis aproximatæ, parum profundæ. Puncta minutissima in tota superficie elytrorum temere sunt sparsa, summo limbo laterali, et area parva subscutellari supra tertiam et quartam striam dorsalem sese extendente, lævissimis, exceptis. *Pectus* et *Abdomen* atro-ænea, punctulata, sterno ad os usque producto, apice subrotundato. *Pedes* postice æneo-subrufescentes, tibiis parum dilatatis, spinulis quibusdam brevibus, intermediis et anticis magis rufis, magisque dilatatis, illis spinulosis, his submuticis crenulis modo plurimis valde exiguis, non nisi certo situ observandis.

Obs. Ex Musæo ditissimo Dom. de Sehestedt mihi benevole communicatus, at habitatio incerta.

XXXIX. Hist. Splendens *æneus, thorace antice valde angustato, elytris coeruleis, interstitiis omnibus striarum dorsalium posticeque punctatissimis, tibiis anticis sexdentatis. Tab. IV. f.* VII.

Habitat in Cap. bon. spei. Dom. Sparrman: in Tranquebaria Dom. de Sehestedt.

Caput æneum, nitidum, fronte convexa, punctata, stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, subtus æneo-coerulescens, supra æneus nitidissimus; tenuiter marginatus, convexus, antice fossula utrinque profunde punctata, margine laterali late profundeque, antico vero inter fossulas, oculo modo armato, tenuissime punctulato, summo postico, punctis paucioribus etiam adsperso, disco sæ-

pius lævissimo. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, mox vero versus medium sensim valde dilatata, postice iterum angustata, cyanea, nitidissima, parum convexa: stria suturali antice parum modo abbreviata, quarta dorsali brevissima, antice posticeque abbreviata, reliquis dorsalibus obliquis in medio fere abbreviatis, stria marginali subrecta, dorsalibus adjacentibus, postice, sæpiusque etiam antice, paulo breviore, humerali profunda, brevissima, laterali et terminali distinctis, interstitio punctulato. Tota superficies elytrorum confertissime punctulata, præter marginem exteriorem, plagamque communem lævissimam, a sutura fere ad tertiam striam dorsalem, sese extendentem. Interstitium inter primam secundamque striam dorsalem rugulis transversis notatur. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima, æneo-coerulescentia. *Pedes* nigropicei, tibiis dilatatis, anticis sex-denticulatis, intermediis et posticis spinulosis.

Obs. Color hujus speciei jam magis æneus, jam magis coeruleus.

XL. Hist. Semipunctatus *ovato-subquadratus, nigro-subæneus, elytris coerulescentibus, extrorsum posticeque punctatissimis, tibiis anticis sex-denticulatis.* Tab. IV. f. VIII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 85. 10. Schönh. Syn. Ins. 1. 91. 17.

Ent. Heft. 1. 73. 14. et 2. p. 124. Hist. coerulescens.

Rossi Mant. 1. 12. 19. Hist. cyaneus.

Habitat in Europa media et australiore, atque Africa boreali.

Caput nigro-æneum, punctatissimum, fronte convexa stria ordinaria impressa, antennarum clava fusca. *Thorax* nigro-æneus nitidus, antice latitudine longitudinis, utrinque impressus, postice vix duplo latior; convexus, lateribus late profundeque punctatis, disco, margineque etiam antico foveolas interjacente, lævissimis, margine summo postico punctulato, in medio tamen lævissimo. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice parcius angustata; coerulescentia, nitida, parum convexa; stria suturali pone medium antice abbreviata, dorsalibus omnibus valde obliquis, quarto brevi, antice posticeque abbreviata, reliquis antice integris, tertia secundaque vero fere in medio, prima paulo ante medium, abbreviatis; stria marginalis antice paulo pone medium abbreviata est, nec ipsum apicem attingit; interdum etiam punctulis modo quibusdam indicata. Stria humeralis vix distincta, lateralis et terminalis evidentiores, interstitio punctulato. Pars postica elytrorum crebre punctulata, antica humeris lævissimis, interstitio primæ secundæque striarum dorsalium transversim rugoso, reliquarum jam lævi, jam punctulis modo rarioribus impresso, et a quarta stria dorsali ad suturam lævissimo. *Pectus* et *Abdomen* coerulescentia, punctata. *Pedes* nigri, tarsis piceis, tibiis dilatatis, anticis sex-dentatis, intermediis et posticis spinulosis.

Var. β.

Totus atro-coerulescens.

Habitat minus frequens cum praecedente, cui simillimus.

Obs. Teste Dom. Müller in Entom. Hefte occurrit hæc species elytris antice etiam usque ad suturam punctulatis; ego vero hanc varietatem non adhuc vidi. Valde affinis Hist. Splendenti, sed differre videtur loco natali, thorace inter foveolas anticas impunctato, corporeque ovato-subquadrato, scilicet thorace antice elytrisque postice minus angustatis.

XLI. Hist. Cyaneus *thorace cupreo-æneo lævissimo, area integra laterali punctata, elytris æneo-viridibus antice impunctatis, tibiis anticis quinquedentatis.* Tab. *V. f. 11.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. 86. 13. Oliv. Entom. 1. 8. p. 8. N:o 6. tab. 8. f. 17.
Schönh. Syn. Ins. 1. 92. 19.

Habitat in Nov. Hollandia; in Insulis Indiæ orientalis. Dom. Thunberg.

Caput cupreo-æneum, punctulatum fronte convexa, stria ordinaria, punctoque medio unico majore postice impresso, antennarum clava fusca. *Thorax* antice haud latitudine longitudinis, postice non duplo latior, cupreo-æneus nitidissimus, convexus, fossula utrinque antica profunde punctata, unde area punctorum impressorum, postice angustata, non vero abbreviata versus basin extenditur; margo tamen ipse lateralis, ut et tota pars reliqua thoracis, punctulis nonnullis in margine postico excep-

tis, lævissima. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, ante medium paulo dilatata, postice iterum angustata, convexa, viridi-ænea nitidissima, stria marginali quatuorque striis dorsalibus valde obliquis, a basi ad medium circiter extensis, suturali pone medium antice abbreviata, humerali vix ulla, laterali et terminali integra; a medio ad apicem punctatissima, margine tamen ipso exteriore impunctato; antice impunctata, rugis quibusdam rarioribus inter primam et secundam striam dorsalem. *Pectus* et *Abdomen* nigro-cyanea, nitida punctulata. *Pedes* nigro-cyanei, tarsis piseis, tibiis dilatatis, posticis et intermediis spinulosis, anticis quinquedentatis.

Obs. Denticuli tibiarum anticarum interdum fere detriti. Macula una alterave inordinata cuprea, in elytris interdum apparet.

XLII. Hist. Elegans *thorace æneo lævissimo, area abbreviata punctata laterali; elytris cyaneis, postice interstitiisque striarum dorsalium punctulatis.* Tab. V. f. 1.

Habitat in Cap. bon. spei. Dom. Gröndahl.

Caput æneum, punctulatum, fronte stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice duplo latior, æneus, nitidissimus, convexus, tenuissime marginatus, lævissimus, foveola tamen profunde punctata in utroque angulo antico, punctisque quibusdam exinde in aream lateralem, medio abbreviatam, deductis, margine tamen ipso laterali lævissimo; postico vero pun-

ctulis quibusdam paucioribus adornato. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice angustata, cyanea nitidissima, limbo exteriore æneo; convexa, stria marginali quartaque dorsali antice posticeque abbreviatis, reliquis vero tribus dorsalibus a basi ad medium circiter sese extendentibus, stria humerali distincta, suturali pone medium antice abbreviata, laterali et terminali distinctis; interstitia striarum dorsalium, ut etiam ceteræ elytrorum partes, punctatissimæ, limbo tamen lato externo, summo margine postico, et plaga ab apice fere suturæ supra quartam et tertiam striam dorsalem sese extendente, impunctatis, lævissimis. Inter primam secundamque striam dorsalem rugæ plurimæ impressæ sunt. *Pectus* et *Abdomen* cyanea, nitida. *Pedes* picei, femoribus posticis et intermediis obscure cyaneis, tibiis dilatatis, anticis quinquedentatis, intermediis et posticis spinulosis.

Obs. Affinis præcedenti, sed differt area punctata thoracis abbreviata, stria marginali quartaque dorsali elytrorum antice abbreviatis, et magna parte elytrorum antice etiam punctata. Ab Hist. Bicolore, cui etiam affinis, differt thorace foveolato, minus punctato, stria suturali elytrorum antice abbreviata, et tibiis anticis quinquedentatis.

XLIII. Hist. Nitidulus *atro-subæneus, thorace foveolato, elytris plus minusve punctulatis, striis abbreviatis, tibiis anticis multicrenatis. Tab. V. f.* III.

Schönh. Syn. Ins. 1. 90. 13. Payk. Fn. 1. 45. 12. Fabr. syst. Eleut. 1. 85. 7. Ibid. 86. 11. Hist. acuminatus. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 88. 17. Ent. Heft. 1. p. 77. 15. et 2. p. 125.

Habitat in fimetis et cadaveribus Europæ, Africæque borealis frequens.

Totus atro-æneus, nitidus. *Caput* crebre punctulatum, fronte convexa, stria ordinaria, antennarum clava fusca. *Thorax* postice longitudine duplo latior, antice vix latitudine longitudinis, foveola utrinque impressa; convexus punctulatus, jam modo ad marginem, jam etiam in toto fere disco, punctis eo minoribus, quo magis a margine distant. *Elytra* thorace dimidio longiora et in medio, non vero antice posticeque, paulo latiora; convexa, striis dorsalibus et marginali jam paulo brevioribus, jam paulo longioribus, sæpius postice in medio abbreviatis; stria suturalis maxime variat: jam fere omnino nulla vel brevissima, jam ad medium producta, jam, quod tamen non nisi in unico individuo Algeriæ capto, observavi, integra, et cum linea quarta dorsali antice coiens. Punctatio elytrorum eodem modo nimis variat: jam modo pars postica crebre punctata, jam etiam antica externa, interdum usque ad quartam striam dorsalem, jam tandem, ut in individuo unico Algeriæ capto, et altero a Rio Janeiro Brasiliæ, a Dom. Gyllenhal communicato, antice, punctis tamen introrsum minoribus, usque ad suturam elytra punctulata sunt. *Pectus* et *Abdomen* punctata. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis multicrenatis, intermediis et posticis spinulosis.

Var. β.

Elytris opacis, rugose punctulatis, striis dorsalibus obsoletis, macula parva scutellari lævissima.

Captus in Smolandia, unde a Dom. Ljung mihi benevole communicatus. Habitu et statura reliquis hujus speciei simillimus, sed striæ dorsales elytrorum inter rugas et puncta confertiora fere evanescunt.

Obs. Mutabilitas longitudinis striæ suturalis hujus speciei optime hanc subdivisionem cum sequente jungit.

XLIV. Hist. Algericus *antennarum clava ferruginea, thorace integro, elytris antice striatis impunctatis, tibiis anticis subcrenulatis. Tab. V. f.* IV.

Habitat Algeriæ.

Niger nitidus. *Caput* subtilissime punctatum, fronte convexa, antennarum clava ferruginea. *Thorax* postice longitudine duplo latior, antice valde angustatus, foveolis nullis impressis; convexus, antice et ad latera late, in marginis postici vero medio tenuiter, punctulatus. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, medio dilatata, postice iterum angustata; convexa, striola marginali antice cum striola humerali coëunte, postice versus apicem abbreviata; striis quatuor dorsalibus in medio abbreviatis, et stria suturali ab apice ultra medium sese extendente. Interstitia striarum impunctata, rugis modo quibusdam inter striam primam et secundam dorsalem, pars vero postica elytrorum crebre punctulata. *Pectus* et *Abdomen* confertissime punctulata. *Pedes* picei, tibiis dilatatis, posticis et intermediis spinulosis, anticis crenulis minutissimis, vix nisi certo situ observandis.

Obs. Affinis est Hist. Nitidulo, sed differt magnitudine duplo fere minori, thorace haud foveolato, antennarum clava ferruginea, tibiisque anticis minus crenulatis.

Subdivisio secunda.

Stria suturali elytrorum cum quarta dorsali antice conjuncta.

XLV. Hist. Rugifer *niger, rugose-punctatissimus, elytris striis rugosis postice abbreviatis, macula parva subscutellari lævissima, tibiis anticis multicrenatis. Tab. V. f. v.*

Payk. Act. Holm. 1809. 230. tab. VII. fig. 3. Gyllenh. Ins. Sv. 2. p. 3. N:o 19.
Payk. Fn. Sv. 1. 45. 13. Hist. 4-striatus.

Habitat in Svecia media et meridionali minus frequens.

Totus niger, et multitudine punctorum impressorum opacus. *Caput* punctatissimum, fronte convexa, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine postice duplo, antice vero haud multo latior, utrinque parum impressus; convexus punctatissimus, in disco tamen punctis minoribus, unde paulo nitidior apparet. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio vero modice dilatata, convexa, punctis in rugas minutissimas confluentibus creberrime adspersa; stria suturalis integra, rugisque quatuor obliquis dorsalibus, profundioribus, a basi vix ultra medium extensis, et marginali interdum cum humerali confluente. In angulo dimidio inte-

riori, e connexu striæ suturalis cum ruga quarta dorsali oriente, macula parva lævissima. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* nigropicei, tarsis dilutioribus, tibiis dilatatis, anticis multicrenatis, intermediis et posticis spinulosis.

Obs. Differt a var. β. H. Nitiduli corpore minore, oblongiore, rugis dorsalibus paulo distinctioribus, et stria suturali semper integra, cum ruga quarta dorsali coëunte. Ab H. Quadristriato, cui etiam affinis, differt corpore oblongiore, duplo majore, thorace toto punctulato, plaga elytrorum lævissima multo minore, tibiisque anticis multicrenatis.

XLVI. Hist. Pensylvanicus *æneo-nigricans thorace antice discoque, elytris extrorsum anticeque impunctatis, tibiis anticis basi crenatis, apice dentatis. Tab. V. f.* vi.

Habitat in Pensylvania. Dom. Collin.

Totus æneo-nigricans. *Caput* fronte subtilissime punctulata, convexa, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, utrinque subimpressus, postice plus duplo latior, convexus, lateribus late, margine postico tenuiter, punctulatis, antice discoque lævissimis. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, in medio parum dilatata, postice iterum angustata, stria suturali integra, quatuor dorsalibus medio circiter postice abbreviatis, tertia tamen paulo breviore, marginali postice versus apicem abbreviata, antice ultra medium sese extendente, stria humerali, laterali et terminali distinctis: antice ad

medium limboque toto, late impunctata, postice ab apice striæ secundæ dorsalis versus striam suturalem crebre temere punctulata, punctis etiam nonnullis sub apice striæ marginalis impressis. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctulata. *Pedes* tibiis piceis, intermediis dilatatis spinulosis, anticis adhuc latioribus basi crenulatis, a medio ad apicem quadridentatis, dente apicis bifido; tarsi dilutiores.

Var. β.

Aeneus nitidus, tibiis tarsisque piceis.

Habitat cum præcedente, cui simillimus, sed duplo minor.

XLVII. Hist. Assimilis *niger, thoracis lateribus anticeque, elytris extrorsum posticeque punctulatis, stria prima dorsali subintegra, tibiis anticis multicrenatis. Tab. V. f.* VII.

Habitat in America septentrionali.

Ater nitidus. *Caput* punctatissimum, fronte convexa, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine antice paulo modo, postice vero plus duplo latior, convexus, disco postico lævissimo, margine antico et laterali late punctulato, illo tamen punctis minoribus. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, in medio valde dilatata, postice iterum angustata; convexa, stria suturali integra, tertia quartaque stria dorsali in medio, secunda pone medium, prima vero versus apicem, postice abbreviatis. Stria marginalis brevis in me-

dio incipit et inde longitudinem primæ striæ dorsalis versus apicem paulo superat. Stria lateralis et terminalis distincta, humeralis obsoleta. Pars postica elytrorum profunde et crebre temere punctulata, limbusque totus exterior punctis minoribus adspersus. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctulata. *Pedes* tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis valde dilatatis multicrenatis.

OBS. A precedenti, cui affinis, præsertim differt thorace etiam antice, limboque exteriore elytrorum punctatis, et tibiis anticis a basi ad apicem crenulatis.

XLVIII. HIST. Bicolor *punctatissimus, thorace æneo, elytris cyaneis, striis exterioribus apice abbreviatis, tibiis anticis multicrenatis. Tab. V. f.* VIII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 86. 14. Oliv. Ent. 1. 8. p. 13. N:o 13. tab. 3. f. 20. a b. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 92. 20.

Habitat ad Cap. bon. Spei.

Caput obscure æneum, punctatissimum, fronte convexa, stria ordinaria antica, punctoque unico majore postico impresso, antennarum clava rufescente. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vix duplo latior, æneus nitidus punctatissimus, punctis eo minoribus, quo magis a margine remotis. *Elytra* thorace dimidio longiora anticeque latitudine ejus baseos, versus medium paulo dilatata, postice iterum angustata, cyanea, nitida, convexa, punctatissima, punctis extrorsum posticeque sæpe in rugulas confluentibus, et in angulo anteriore

interiore tenuioribus; stria marginalis et binæ primæ dorsales versus apicem, tertia vero et quarta dorsales jam paulo ante, jam paulo pone medium abbreviatæ sunt; stria lateralis et terminalis distincta, integra. *Pectus* et *Abdomen* nigra, nitida, punctatissima. *Pedes* picei, tarsis dilatatis, anticis multicrenatis, intermediis et posticis spinulosis.

XLIX. Hist. Conjungens *nigro-æneus, elytris apice tantum punctatis, striis plerumque integris, tibiis anticis quinquedentatis. Tab. VI. f. 1.*

Payk. Fn. Sv. 1. p. 44. 11. Ent. H ft. 1. p. 82. 11. t. 1. f. 8. Schönh. Synon. 1. p. 95. 35. Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 87. 16.

Habitat in Germania, Europa australi, et Africa boreali sat frequens; in Svecia rarissimus.

Nigro-subæneus, nitidus. *Caput* confertius punctulatum, fronte parum convexa, Antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, convexus, lateribus late punctulatis, margine laterali tamen ipso lævissimo, postico tenuiter punctulato, antici medio discoque toto lævissimis. *Elytra* thorace duplo fere longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio modice dilatata, postice iterum angustata, convexa, stria laterali et terminali distincta integra, humerali satis profunda, marginali sæpius omnino nulla, rarius brevissima vel punctulis modo quibusdam indicata, prima dorsali in medio postice abbreviata,

secunda, tertia et quarta dorsali striaque suturali integris. Striæ omnes, terminali et humerali excepta, distincte punctatæ, interstitia vero striarum, uti tota superficies elytrorum, impunctata, summum modo si excipias apicem præsertim sub tertia et quarta stria dorsali, punctulatum, punctaque quædam inter striam suturalem quartamque dorsalem sæpius versus apicem in lineolam, interdum antice bifidam, impressa, et rudimenta quasi quintæ striæ dorsalis indicantia. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* nigro-picei tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis dentibus quinque, intimo minutissimo.

Var. β.

Nigro-subviolaceus.

Habitat cum præcedente, cui habitu, magnitudine et statura simillimus.

Obs. Species hæc hanc familiam cum præcedente optime jungit.

L. Hist. Brasiliensis *æneus, thoracis disco postico lævissimo, elytris punctatissimis, humeris, maculaque parva subscutellari lævissimis, tibiis anticis sexdentatis.* Tab. VI. f. 11.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Gyllenhal.

Totus æneus, nitidus, subtus nitidior. *Caput* fronte rugosa, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine postice duplo, antice vix dimidio latior, convexus, margine laterali et antico late, postico auguste punctulato, disco

postico lævissimo. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio parum dilatata, postice iterum angustata, parum convexa, minus quam in reliquo corpore nitida, quia ubique confertissime punctata, humeris modo maculaque parva communi, ubi stria suturalis cum quarta dorsali jungitur, lævissimis; stria marginalis brevis, antice posticeque abbreviata, quatuor dorsales dimidiatæ, suturalis integra, lateralis et terminalis distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctata. *Pedes* tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus sexdentatis, dentibus duobus intimis minimis; tarsis æneo-ferrugineis.

LI. Hist. Metallicus *nigro-violaceus, fronte rugosa, thoracis disco postico lævissimo, elytris postice introrsum punctatis, tibiis anticis quinquedentatis.* Tab. *VI. f.* III.

Synon. Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 89. 26. Ent. Heft. 1. p. 81. 17. Gyllenh. Ins Sv. 1. p. 92. 22. Schönh. Synon I. *p. 95. 35.*
Payk. Fn. Sv. 1. p. 47. 15. Hist. Rugifrons.

Habitat in Europæ et Africæ borealis stercoratis.

Nigro-violaceus nitidus, interdum nigro-subæneus, rarius omnino nigricans sine omne splendore metallico. *Caput* fronte marginata, rugulis duabus transversis, posteriore in medio adscendente, acuminata, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice vix duplo latior, convexus, tenuiter marginatus, confertissime punctatus, area modo

parva in disco postico lævissima. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio vix dilatata, postice angustiora, parum convexa, antice et in limbo laterali punctis nullis temere sparsis, postice introrsum punctata; stria terminali et laterali distincta, marginali brevi, antice posticeque abbreviata, quatuor dorsalibus modice obliquis, jam in medio, jam paulo pone medium, abbreviatis, quarta tamen reliquis semper paulo breviore. Stria suturali integra, humerali distincta, interdum cum stria marginali coëunte. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* femoribus nigris, tibiis piceis dilatatis, intermediis et posticis spinulis, anticis dentibus quinque ferrugineis, armatis, tarsis piceis.

Obs. Magnitudo dimidio fere minor, lineæ in tabula expressa, sæpe occurrit. Interdum, certo situ, dens sextus minutissimus ad basin tibiarum anticarum apparet, interdum vero, præcipue in individuis minoribus, dens etiam quintus vix observatur.

LII. Hist. Aeneus *æneus, thoracis disco toto, elytrisque antice introrsum impunctatis, stria tertia dorsali brevissima, tibiis anticis multicrenatis.* *Tab. VI. f.* VI.

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 88. 25. Oliv. Ent. 1. 8. p. 12. N:o 12. tab. 2. f. 10. a. b. Ent. Heft. 1. p. 79. 16. Payk. Fn. Sv. 1. p. 46. 14. Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 89. 18. Schönh. 1. 94. 34.

Habitat in stercore et cadaveribus Europæ.

Supra æneus, nitidus. *Caput* fronte convexa, marginata, punctulata, non vero rugosa, an-

tennarum clava fusca. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice vero plus duplo latior, convexus, disco toto lævissimo, margine laterali late, postico anguste, antico angustissime, punctulato. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio valde dilatata, postice iterum angustata, convexa; a medio ad apicem, et area usque ad basin producta inter striam humeralem et secundam dorsalem profunde punctata, margine vero ipso laterali subtilissime modo punctulato. Stria terminalis et lateralis integra, marginalis brevis, margini valde approximata, antice posticeque abbreviata, cumque stria profunda humerali interdum coëunte. Prima stria dorsalis ante medium, secunda et quarta circa medium, abbreviata, tertia vero brevissima et quartam partem longitudinis elytrorum a basi haud attingens, interdum etiam punctulis modo quibusdam indicata. Stria suturalis integra. *Pectus* et *Abdomen* nigra, nitida, punctatissima. *Pedes* nigro-picei, tibiis dilatatis, anticis subtilissime multicrenatis, intermediis et posticis spinulosis.

Var. β.

Nigro subæneus, vel totus niger.

Habitat cum præcedente, cui simillimus, minus frequens.

Obs. Ab Hist. Metallico optime distingvitur corpore magis ovato, fronte haud rugosa et stria tertia dorsali brevissima.

LIII. Hist. Virescens *coeruleo-virescens, pun-*

ctatissimus, elytris striis dorsalibus dimidiatis, interstitiis earum posticeque punctulatis, tibiis anticis multidentatis. Tab. VI. f. VII.

Payk. Fn. Sv. 1. p. 48. 16. Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 91. 21. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 95. 38.

Habitat in stercoratis aridis Vestrogothiæ. Dom. Gyllenhal.

Totus coeruleo-virescens pedibus solis nigro-piceis. *Caput* fronte marginata, convexa, confertissime punctata, non vero rugosa, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine antice dimidio, postice vix duplo latior, convexus, ubique punctatissimus, etiam in disco, licet ibidem punctis paulo minoribus. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, ante medium paulo dilatata, postice iterum angustata, convexa, crebre punctata, humeris maculaque simplici antica, a stria suturali et quarta dorsali inclusa, lævibus; striis quatuor dorsalibus distinctis medio abbreviatis, stria marginali antice cum stria humerali coëunte, postice ad medium extensa, laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* tibiis intermediis et posticis vix dilatatis, anticis latioribus multidentatis, dentibus minutis.

Obs. Sub lente fortiore etiam in macula lævi elytrorum puncta minutissima apparent. Ab Hist. 4-striato abunde differt fronte non rugosa, thorace toto punctulato, elytris striis dorsalibus distinctis, et tibiis anticis multidentatis.

LIV. Hist. Speculifer *æneus, elytris stria unica dorsali, punctatissimis, opacis, humeris ma-*

culisque duabus anticis, lævissimis, nitidissimis. Tab. VI. fig. IV.

Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p. 48. 2. Payk. Act. Holm. 1809. 229. tab. 7. f. 2. Web. Obs. Ent. p. 47. 1. Hist. Pulcherrimus. Schönh. Syn. Ins. I. p. 97. 58.

Habitat in stercore et cadaveribus Galliæ, Italiæ, et Africæ borealis sat frequens, in Svecia meridionali rarissime.

Aeneus, sæpius subtus obscurior. *Caput* fronte convexa, marginata, punctata, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, convexus, margine antico et postico anguste, laterali vero late punctulato, disco toto lævissimo. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio paulo dilatata, postice iterum angustata, parum convexa, punctis confertissime impressis opaca, margine vero summo postico, humeris, maculaque utrinque subovali ad suturam, et altera quadruplo minore, exteriore, basi approximata, lævissimis, nitidissimis. Stria suturalis integra et quarta dorsalis, quæ satis obsoleta et in medio abbreviata, maculam intennam lævissimam includunt; reliquæ striæ dorsales et marginalis omnino nullæ, humeralis valde obsoleta, lateralis et terminalis distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* picei, femoribus vix submetallicis, tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus multicrepatis.

LV. Hist. Quadristriatus *niger, rugoso-puncta-*

tissimus, thoracis disco postico, humeris, maculaque parva subscutellari lævissimis; tibiis anticis quinquedentatis. Tab. VI. f. V.

Ent. Heft. 1. p. 85. 19. Tab. 1. fig. 9. Gyllenh. Ins. Sv 1. p. 90. 20. Sturm. D. Fn. 1. 230. 21. Schönh. Syn. 1. 95. 32.

Habitat in Germaniæ et Sveciæ australis arenosis.

Supra niger, opacus, subtus nitidior. *Caput* fronte marginata, transversim subrugosa, antennarum clava fusca. *Thorax* longitudine antice fere dimidio, postice plus duplo latior, marginatus, convexus, limbo laterali et antico late, postico anguste rugoso-punctato, area parva disci postici lævissima. *Scutellum* minutissimum punctiforme. *Elytra* thorace fere duplo longiora, anticeque latitudine ejus baseos, ante medium dilatata, postice iterum angustata; convexa, creberrime punctis sæpe in rugas confluentibus adspersa, humeris, margine summo postico, maculaque subovata parva baseos ad suturam, lævissimis. Stria suturalis sæpius vix a basi ultra medium distingvi potest, rarius fere usque ad apicem, obsolete licet, discernitur. Stria quarta dorsalis, quæ antice cum stria suturali arcuatim juncta maculam lævissimam involvit, mox evanescit, ut etiam striæ reliquæ dorsales, quæ sæpius vix ut rugæ valde obsoletæ ad basin observantur, rarius vero paulo distinctiores; stria tamen prima dorsalis postice versus marginem lateralem descendens, iterum in conspectum venit. Stria marginalis brevis, obsoleta; laterali et terminali distincta, interstitio sublævi. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctata. *Pedes* tibiis piceis, intermediis et

posticis parum dilatatis spinulosis, anticis latioribus quinquedentatis, dente intimo minuto, reliquis validis; tarsi picei.

Obs. Variat minus frequens colore coerulescente, vel metallico-virescente.

LVI. Hist. Dimidiatus *aeneus, fronte rugosa, thorace laevissimo, elytris postice introrsum punctatis, tibiis anticis quinquedentatis. Tab. VI. f.* VIII.

Habitat in Africa boreali et Lusitania, unde a Cel. Dom. Com. de Hoffmansegg mihi benevole communicatus.

Supra obscure æneus, subtus nigricans. *Caput* fronte marginata, parum transversim rugusa at non punctulata, antennarum clava fusco-rufescente. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, convexus, lævissimus, punctis modo quibusdam levioribus summo margini postico impressis. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio vix dilatata, postice angustata; convexa, postice introrsum, areaque secundam quartamque striam dorsalem interjacente, punctulata, coetero antice limboque toto laterali impunctata. Striæ dorsales quatuor a basi ad medium circiter productæ, marginalis vix longior, antice cum humerali juncta, lateralis et terminalis levis at distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* tibiis dilatatis, intermediis et posticis spinulosis, anticis quinquedentatis, dentibus binis internis minutis.

LVII. Hist. Erythropterus *ater, elytris postice introrsum punctatis, extrorsum indetermina-*

te rubris, tibiis anticis sex-dentatis. *Tab. XIII. f.* IV.

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. Gyllenhal.

Ater nitidus tibiis tarsisque piceis. *Caput* fronte marginata, punctulata, convexa, antennarum clava fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, convexus, ubique confertissime punctulatus, disco vero interdum punctis tam exiguis, ut vix nisi lente fortiori et certo situ observentur, interdum evidentioribus, area angusta profundius punctulata in utroque latere, non tamen usque ad marginem extensa. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, ante medium paulo latiora, versus apicem angustata; convexa, postice et extrorsum late indeterminate rubra, angulo modo interno postico punctulato, antice vero et extrorsum punctis nullis temere sparsis; striis dorsalibus quatuor elongatis, mediis scilicet fere ad apicem, reliquis ultra medium productis, stria marginali nulla, humerali levissima, laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctulata. *Pedes* tibiis intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus denticulis sex minutis.

Obs. Interdum nigro-subæneus etiam occurrit, elytris tamen extrorsum posticeque indeterminate rubris. Primo intuitu Hist. Bimaculato affinis videtur sed diversissimus.

LVIII. Hist. Rufipes *nigro-subæneus, antennis pedibusque rufis, thorace æquali, elytris striis*

dorsalibus subintegris, tibiis anticis sexdenticulatis. Tab. VII. f. 1.

Payk. Fn. Sv. 1. p. 96. 46. Schönh. Syn. Ins. 1. p. 50. XVIII.

Habitat in Svecia meridionali rarissime, in Europa australi et Africa boreali magis frequens.

Totus nigro-æneus pedibus rufis. *Caput* fronte punctulata non vero rugosa, antennis rufis clava dilutiore. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, convexus, æqualis, vel antice haud, ut sequentis, impressus, ubique vero punctulatus punctis tamen disci minoribus. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio dilatata, postice angustata; parum convexa, postice introrsum crebre punctulata, antice limboque lævia; stria dorsali prima pone medium abbreviata, reliquis fere versus apicem productis, marginali etiam postice elongata, antice cum humerali coëunte, laterali distincta, terminali magis obsoleta. *Pectus* et *Abdomen* crebre punctulata. *Pedes* rufi, tibiis posticis et intermediis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus sex-denticulatis.

Var. β.

Striis dorsalibus fere in medio abbreviatis, prima tamen sæpius longiore, marginali brevissima vel nulla.

Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 90. N:o 19. in observatione.

Habitat in Italia et Barbaria cum præcedenti.

LIX. Hist. **Affinis** *nigro-aeneus, antennis pedibusque rufis, thorace impresso, elytris striis dorsalibus dimidiatis, tibiis anticis multidentatis. Tab. VII. f. 11.*

Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 90. 10. Hist. rufipes.

Habitat in Europa australiori et Barbaria frequens. In Mus. Dom. de Sehestedt etiam ex India orientali hanc speciem vidi.

Nigro-æneus pedibus rufis. *Caput* fronte convexa punctulata, antennis rufis, clava dilutiore. *Thorax* convexus, longitudine antice paulo, postice plus duplo latior; margine antico utrinque impresso et cum laterali late punctato, postico vere anguste punctulato, disco postico lævi, oculo tamen acute armato, etiam subtillissime punctulatus apparet. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, punctatissima, humeris areaque antica a sutura ad striam tertiam dorsalem lævissimis; striis quatuor dorsalibus vix ultra medium sese extendentibus, marginali jam paulo longiore, cum stria humerali antice juncta, jam breviore vel brevissima, antice posticeque abbreviata, stria laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis denticulis 9-10 crenulatis, posticis et intermediis spinulosis.

Obs. Variat magnitudo; sæpius tamen præcedente duplo major, a quo etiam abunde differt thorace antice impresso, elytris magis punctulatis, tibiisque anticis multidentatis.

LX. **Pulchellus** *viridi-aeneus, nitidus, ano cu-*

preo, elytris macula postica determinata rubra, pedibus rufis, tibiis anticis quinque-dentatis. *Tab. XIII. fig.* v.

Fabr. Syst. Ent. 1. *p.* 88. 21. *Schönh. Syn. Ins.* 1. *p.* 94. 31.

Habitat in Tranquebaria. Mus. Dom. de Schestedt.

Caput fronte integra, convexa, subtilissime punctulata. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, convexus, margine laterali et antico late, postico anguste punctato, area modo postici brevi lævissima: dsci locus impressionis speciei præcedentis in hoc minus convexus, profundiusque punctatus quam reliqua superficies, at haud impressus. *Elytra* thorace duplo fere longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice angustata; viridi-ænea, macula magna postica determinata rubra, dimidiam fere elytrorum partem occupante, margine tamen omni viridi-ænea. Stria terminalis et lateralis integra, marginalis margini valde propinqua, brevissima, antice posticeque abbreviata; prima secundaque dorsalis a basi ultra medium protracta, tertia vero quartaque in medio abbreviata, suturalis integra. A medio ad apicem puncta profundiora extrorsum paulo altius tendentia, crebre impressa, limbus vero ipse et pars antica elytrorum punctis nullis temere sparsis. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima, æneo cupreo nitido, sterno ad os usque producto. *Pedes* rufi intermediis et posticis parum dilatatis, spinulosis, anticis latioribus quinque-dentatis.

LXI. Hist. Rotundatus *ater*, *punctatissimus*,

antennarum clava ferruginea, stria suturali postice brevissima, tibiis anticis quinquedentatis. Tab. *VII. f.* III.

Fabr. Ent. syst. 1. 90. 33. Ent. Heft. 1. 87. 20. t. 1. f. 10. Schönh. Syn. Ins. 1. 96. 5. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 1. 93. 23.
DeGeer Ins. IV. 344. 4. Hist. Pygmæus.
Payk. Fn. Sv. 1. 49. 17. Hist. Punctatus.

Habitat sub cortice arborum et in succo quem exsudant earum vulnera.

Totus ater, nitidus. *Capiti* fronte convexa, punctatissima, antennarum clava ferruginea. *Thorax* antice latitudine circiter longitudinis, postice duplo latior, convexus, ubique punctatissimus. *Scutellum* minutissimum, punctiforme, depressum. *Elytra* thorace fere duplo longiora, anticeque illo paulo latiora, postice angustiora; parum convexa, ubique punctatissima, antrorsum tamen punctis levioribus; stria suturali antice cum quarta dorsali undulatim coëunte, postice vero valde abbreviata et sæpe vix quartam partem longitudinis suturæ attingente, striis secunda, tertia et quarta dorsalibus paulo pone medium abbreviatis, prima vero adhuc longiore, marginali interdum, non antem semper, illius longitudine; laterali et terminali minus distincta. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* picei, tibiis intermediis et posticis spinulosis vix dilatatis, anticis latioribus quinquedentatis.

Obs. Conjunctio striæ suturalis cum quarta dorsali interdum interrupta. Species hæc brevitate striæ suturalis optime hanc subdivisionem cum sequente jungit.

Var. β.

Elytrorum apice pedibusque rufis.

Herbst. Col. 4. p. 56. 30. Hist. Nanus.

Habitat cum praecedenti, cui simillimus, at saepius duplo minor.

Subdivisio tertia.

Elytris stria suturali nulla.

LXII. Hist. Punctatus *niger, punctatissimus, striis dorsalibus externis apice, internis medio, abbreviatis, tibiis latissimis multicrenatis. Tab. VII. f.* v.

Ent. Heft 1. 92. 21. tab. 1. f. 12. Illig. Kaef. Pr. 1. 60. 15. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 93 24.
Fabr. Syst. Eleut. 1. 89. 30. Schönh. Syn. Ins. 1. 96. 43. Hist. Pygmaeus.
Payk. Fn. Sv. 1. p. 50. 19. Hist. corticalis.

Habitat sub cortice arborum Germnniae et Sveciae rarius.

Niger obscurus. *Caput* fronte parum convexa, subtilissime punctata, antennarum clava rufescente. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, valde convexus undique punctatissimus. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, ante medium paulo latiora, postice angustata; valde convexa, punctatissima, striis latis vel sulculis punctulatis quatuor dorsalibus obsoletis, quorum bini interiores in medio circiter, exteriores versus apicem abbreviati sunt. Rudimentum striolae marginalis breve, valde obsoletum interdum in medio obser-

vatur; stria lateralis et terminalis evidens. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* picei, tibiis omnibus præsertim anticis, valde dilatatis, subtilissime crenulatis.

LIII. Hist. Capensis *nigro-subæneus, punctatissimus, thorace impresso, elytris rugulis dorsalibus obsoletis, tibiis anticis latissimis, multicrenatis. Tab. VIII. f.* III.

Habitat in Cap. bon. Spei. Dom. Thunberg.

Nigro-subæneus, *Caput* subtilissime punctulatum, fronte supra oculos prominula, antennarum clava fusco rufescente. *Thorax* antice vix latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, subtilissime punctatus, immarginatus, medio parum convexus, lateribus depressis, margine antico utrinque impresso, valde pro receptione capitis emarginato, postico in angulum producto. *Scutellum* minutissimum punctiforme. *Elytra* thorace duplo fere longiora et in medio multo latiora, subdepressa, apice truncata, ubique punctis minutissimis temere adspersa, striis vel rugulis tribus dorsalibus humeralique obsoletis, stria laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* subtilissime punctulata. *Pedes* picei, tarsis intermediis et posticis sublinearibus, vix dilatatis, spinulis paucioribus, anticis valde lunato-dilatatis, subtilissime multicrenatis.

Var. β.

Niger, pedibus piceis, rugis adhuc obsoletioribus.

Habitat cum præcedente, cui, magnitudine, habitu et statura simillimus.

LXIV. Hist. Pygmæus *piceus, thorace lævissimo, elytris striis quatuor dorsalibus obsoletis, tibiis omnibus latissimis subinermibus.* Tab. VII. f. VI.

Linn. Syst. Nat. 1. II. p. 567. 4. Fn. Sv. 441. Schönh. Syn. Ins. 1. 96. 44. Payk. Fn. Su. 51. 20. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 94. 25.

Habitat in Svecia rarius in arenosis aridis primo vere; in succo adscendente ex betulis excisis semel ad Walloxsäby initio mensis Junii inveni.

Piceus, vel obscure castaneus. *Caput* lævissimum, fronte convexa, antennarum clava rufescente. *Thorax* longitudine antice dimidio, postice plus duplo latior, illic pro receptione capitis emarginatus, hic rotundatus; valde convexus, oculis etiam bene armatis impunctatus lævissimus. *Elytra* thorace plus duplo longiora, et in medio multo latiora, valde convexa, apice truncata, lævia, striis quatuor dorsalibus levibus antice posticeque abbreviatis, marginali nulla, laterali et terminali distincta, oculis acute armatis confertissime subtilissime temere punctulata. *Pedes* dilute picei, tibiis omnibus valde dilatatis, compressis, anterioribus (vix vero intermediis et posterioribus) oculo armato denticulis quibusdam minutissimis instructis.

LXV. Hist. Piceus *piceus, subglobosus, lævissimus, elytris stria marginali quatuorque dorsa-*

libus levissimis, tibiis simplicibus subinermibus. Tab. VII. f. VII.

Payk. Act. Holm. 1809. 23. 1. Tab. VII. f. IV.

Habitat rarissime ad Wälsätra prope Upsaliam tempore vernali.

Totus dilute piceus, subtus dilutior. *Caput* lævissimum, fronte parum convexa, antennarum clava concolore. *Thorax* brevis, vel postice longitudine fere triplo latior, valde convexus, lævissimus, antice pro receptione capitis emarginatus, postice versus scutellum in angulum parvum protractus. *Elytra* thorace plus duplo longiora, anticeque vix latiora, in medio valde dilatata, postice iterum angustata, truncata; oculis nudis lævissima, armatis vero stria marginali quatuorque dorsalibus adornata, quarum quarta dorsalis brevissima, antice posticeque abbreviata, reliquæ vero, præsertim stria marginalis primaque dorsalis, fere a basi ultra medium excurrunt. Stria lateralis et terminalis integra distincta. *Pectus* et *Abdomen* oculis, lente acutissima armatis, crebre, sed leviter punctulata. *Pedes* tibiis omnibus simplicibus vix dilatatis, lente modo fortiore spinulis quibusdam minoribus.

Obs. Hist. Pygmæo affinis videtur, sed differt magnitudine paulo plus duplo minore, elytris lævioribus, stria marginali distincta, tibiisque simplicibus.

Familia Tertia.

Elytris striis dorsalibus nullis.

LXVI. Hist. Scaber *niger opacus, punctatissimus; supra tuberculis crebre elevatis lævibus nitidis.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. 86. 12. Schönh. synon. Ins. 1. 91. 18.

Habitat in Hispania. Dom. Vahl. in Barbaria. Dom. Gröndahl.

Caput minutum, deflexum, fronte depressa, marginata, valde rugosa, mandibulis crassis, brevibus, punctatissimis; antennarum clava ferruginea. *Thorax* tenuissime marginatus, antice latitudine longitudinis, postice duplo latior, punctatissimus, macula magna media difformi, antice bifurca, elevata, lævi, glabra, utroque latere tuberculis tribus in lineam positis, et versus angulum posteriorem unico, elevatis lævibus glabris nitidis. *Scutellum* minutissimum, læve. *Elytra* thorace dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, medio valde dilatata, postice iterum angustata; convexa punctatissima, striis omnino nullis, tuberculis lævibus glabris nitidis, majoribus minoribusque circiter triginta duo utriusque elytri, quintuplici serie longitudinali elevatis; fossula lateralis parum profunda punctatissima. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima, penultimo segmento abdominis tuberculis quinque, ultimo quatuor elevatis, glabris, nitidis. *Pedes* punctatissimi, tibiis omnibus dilatatis, valide quadridentatis, intermediis et posticis etiam valde spinulosis.

LXVII. Hist. Exilis *niger, convexo-ovatus, fronte plana prominula, thorace marginato, elytris supra striis nullis, tibiis inermibus. Tab. XI. f.* VII.

Habitat in India Orientali. Mus. Dom. de Sehestedt.

Hist. Globulo paulo major, statura Hist. Capensis; niger nitidus, ubique oculo armato subtilissime punctulatus. *Caput* fronte plana, supra oculos utrinque prominula; antennæ rufæ, clava dilutiore. *Thorax* antice latitudine haud longitudinis, postice vero duplo latior, convexus, tenuiter marginatus. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio dilatata, postice iterum angustata, parum convexa, stria terminali et laterali integra, reliquis nullis. *Abdomen* elytra parum modo excedens. *Pedes* rufi, tibiis inermibus, intermediis et posticis subfiliformibus, anticis parum dilatatis.

LXVIII. Hist. Lævigatus *ater, suborbiculato-globosus, supra impunctatus, elytris stria marginali laterali terminalique, tibiis subfiliformibus. Tab. X. f.* VII.

Habitat in America septentrionali. Mus. Dom. de Sehestedt.

Hist. Globoso paulo major, totus ater nitidus, supra omnino impunctatus, statura fere Sphæridii. *Caput* fronte convexa, marginata, anten-

narum clava rufa. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, postice duplo latior, tenuiter marginatus, valde convexus. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, at in medio valde dilatata, thoracis elytrorumque longitudine tamen paulo angustiora, valde convexa, subglobosa, striis tantum terminali, laterali et marginali postice abbreviatis, reliquis nullis. *Pectus* subtilissime punctatum, sterno ad os usque producto, apice rotundato. *Abdomen* lævissimum, elytra vix excedens. *Pedes* picei, longitudine mediocri, tibiis subfiliformibus, inermibus.

LXIX. Hist. Globulus *niger orbiculato-subglobosus, punctatissimus, elytris striis nullis, tibiis edentulis linearibus, anticis medio lunato-dilatatis. Tab. VII. f.* VIII.

Creutzer Ent. Vers. 83. 3. t. 1. f. 12. Ent. Heft. 1. 112. 30. Schönh. Synon. 1. 97. 56. Sturm. D. Faun. 1. 257. 35.

Habitat in agaricis et stercore bovino in Germania rarius.

Niger, opacus. *Caput* punctatissimum, fronte vix convexa, antennarum clava pallide fusca. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice plus duplo latior, valde convexus, confertissime punctulatus, postice in angulum parvum productus. *Elytra* thorace vix dimidio longiora, at in medio thoracis elytrorumque longitudine fere latiora, antice posticeque vero angustiora; valde convexa, subglobosa, abdomen fere obte-

gentia, striis omnino nullis, at punctis crebris temere sparsis, certo situ in rugulas breves, præsertim postice, abeuntibus. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* picei, elongati, tibiis simplicibus, edentulis, anticis in medio parum lunato-dilatatis, minime vero, ut in sequente, angulatis.

LXX. Hist. Globosus *piceus, subglobosus, punctatissimus, elytris striis nullis, tibiis edentulis, linearibus, anticis medio in triangulum dilatatis. Tab. VIII. f.* 11.

Ent. Heft. 1. p. 110 29. t. 2. f. 1. Sturm. D. Fn. 1. 255. 34. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 98. 30. Schönh. Synon. Ins. 1. p. 97. 56.
Rossi Fn. Etr. 1. 30. 71. Hist. Minimus.

Habitat in ligno antiquo in Italia, Germania, Svecia.

Præcedenti minor, totus ferrugineo-piceus. *Caput* confertissime subtilissime punctulatum, fronte parum convexa, antennarum clava concolore. *Thorax* antice latitudine vix longitudinis, postice duplo latior, valde convexus, punctatissimus. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, et in medio valde dilatata, licet thoracis elytrorumque longitudine angustiora, convexo-subglobosa, abdomen fere obtegentia, striis omnino nullis, confertissime vero temere punctulata, punctis distinctis, nec, ut in præcedente et sequente, in rugulas abeuntibus. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* elongati, tibiis inermibus, intermediis et posticis linearibus, anticis extrorsum in formam triangularem valde dilatatis.

Obs. Differt a præcedenti præsertim punctatura elytrorum, et tibiis anticis triangulariter dilatatis.

LXXI. Hist. Minutus *piceus, convexus, punctatissimus, elytris stria terminali, reliquis nullis, tibiis omnibus linearibus edentulis. Tab. VIII. f.* 11.

Fabr. Syst. Eleut. 1. p. 90. 24. Gyllenh. Ins. Sv. 1. p. 99. 31. Schönh. Synon. Ins. 97. 49. Ent. Heft. 1. p. 109. 28.
Ent. Heft. 11. p. 127. Hist. Nigricornis.
Rossi Mant. 1. p. 15. 27. Hist. Atomos.

Habitat in ligno putrido et vaporariis hortulanorum in Italia, Gallia, Germania et Svecia sat frequens.

Magnitudo vix seminis papaveris, ideoque minutissimus omnium mihi cognitorum. Totus piceus, jam obscurior jam dilutior; oculis acute armatis ubique punctis minutissimis temere adspersus. *Caput* fronte convexa, antennis longitudine thoracis, primo articulo longissimo valde arcuato, secundo insequentibus duplo longiore sed parum crassiore, clava ovata pallida. *Thorax* postice longitudine duplo latior, antice vero valde angustatus; convexus, antice pro receptione capitis parum emarginatus, postice, ut in duobus præcedentibus, in angulum supra scutellum productus, striola levissima transversa. *Elytra* abdomen fere obtegentia, thorace plus dimidio longiora, et præsertim antice convexiora, in medio valde dilatata, stria terminali distincta, reliquis striis nullis, punctis vero minutissimis in rugulas breves, minus tamen quam in Hist. Globulo, hinc inde confluentibus. *Pedes* tenues, elon-

gati, tibiis linearibus edentulis, anticis arcuatis, vix vero extrorsum dilatatis. Differt a binis præcedentibus magnitudine minori, stria terminali distincta, et tibiis anticis etiam linearibus.

Obs. Hist. Nigricornis ab Hist. Minuto nullo modo diversus, quantum in individuis illius ab ipsis inventoribus Dom. Kock et Müller benevole communicatis, mihi videre licuit; æque enim convexa, punctulata, et stria terminali instructa omnino erant.

TRIBUS SECUNDA.

Corpore oblongo.

Familia Prima.

Elytris striis nullis.

LXXXII. Hist. Proboscideus *nigro-piceus, cylindrico-linearis, thorace elytris longiore. Tab. VIII. f.* IV.

Fabr. Syst. Eleut. II. p. 285. 5. Bostrichus proboscideus.

Habitat in America meridionali. Mus. D. de Sehestedt & Gyllenhal.

Totus nigro-piceus, nitidus, pedibus dilutioribus. *Caput* latum, punctatissimum, fronte antice excavata, clypeo lato porrecto; antennarum clava magna, compressa, rotundata, ferruginea. *Thorax* latitudine plus dimidio longior, cylindricus, ubique crebre profundeque punctatus, angulis anticis acutis, posticis parum rotundatis. *Scutellum* minutissimum, puncti-

forme. *Elytra* thoracis latitudine sed paulo breviora, striis omnino nullis, crebre punctulata, punctis vero, quam in thorace multo tenuioribus, postice subtruncata, abdomine breviora, summo margine rufescente, quod etiam pluribus speciebus hujus generis competit. *Pectus* et *Abdomen* subtilissime punctulata. *Pedes* tibiis anticis et intermediis valde dilatatis quinquedentatis, posticis paulo angustioribus, spinulis, vel potius pilis quibusdam rigidis, oculis modo bene armatis, conspicuis.

Obs. Fide Entomologi peritissimi Dom. Illigeri fultus, hanc speciem e Bostrichis ad Histros retuli, an jure? habitu enim ab Histris satis differt. Tarsi quidem omnes quinquearticulati sunt, quare stabilita regula quod Eleuterata, numero articulorum tarsorum discrepantia, nunquam in idem genus sint conjungenda, a Bostrichis separari debuisset; sed numne Natura ipsa hanc regulam interdum respuit. In genere Cryptophagorum ex gr. numerus articulorum tarsorum, sæpe in eadem specie, sexu forsan, variare scimus; an igitur character speciei indicandæ interdum insufficiens, generi determinando semper valet?

LXXIII. Hist. Picipes *niger*, *lineari-elongatus*, *thorace subquadrato elytris breviore*. *Tab. VIII. f.* v.

Fabr. Syst. Ent. 1. *p.* 92. 42. *Ent. Heft.* 1. 104. 26. *Gyllenh. Fn. Sv.* 1. 95. 26. *Schönh.* 1. 99. 68. *Herbst. Col.* IV. *p.* 37. 11. *tab.* 35. *f.* 11. *Hist. Parallelipipedus.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum in Germania rarius, in Svecia rarissime.

Caput latum, breve, clypeo porrecto, fronte-

que convexis, punctis crebris minutis adspersis; antennæ rufæ, clava dilutiore. *Thorax* latitudine parum modo brevior, convexus, punctatissimus, lateribus subparallelis, summo tantum angulo anteriore pro receptione capitis introrsum flexo. *Scutellum* minutissimum punctiforme, vix nisi elytris deflexis observandum. *Elytra* thoracis latitudine, et illo vix dimidio longiora, lateribus subparallelis, convexa, punctatissima striis omnino nullis. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima, illud nigrum, hoc supra nigrum, subtus piceum. *Pedes* rufi, tibiis anticis valde dilatatis, denticulis quatuor minutis; intermediis et posticis angustioribus his spinulis tantum perpaucis ad apicem, illis quatuor quinqueve denticulis minutis.

Obs. Affinis sequenti, sed differt thorace, ratione latitudinis, breviore, elytrisque striis omnino nullis, lateribus magis parallelis. In Entomologiche Hefte optime discriptus. Celeb. Dom. Sturm in Fauna Germanica hanc speciem cum varietate sequentis, thoracis lateribus subparalellis conjungere videtur, cum striolas quasdam obsoletas ad basin elytrorum Hist. Picepedi attribuit.

Familia Secunda.

Elytris striatis.

LXXIV. Hist. Flavicornis *nigro-piceus, ovali-oblongus punctatissimus, elytris stria laterali distincta, striolisque quibusdam baseos obsoletis. Tab. VIII. f.* vi.

Herbst. Col. IV. p. 40. 13. t. 36. f. 2. a. b. Ent.

Heft. 1. 106, 27. *Schönh. Synon. Ins. Sv* 1. 99. 69. *Sturm D. Fn,* 1. 249. *Gyllenh. Ins. Sv.* 1. 96. 27. *Payk. Fn. Sv.* 1. 52. 21. *Hist. picipes.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum sat frequens in Europa et America.

Totus nigro-piceus, antennis pedibusque dilutioribus. *Caput* omnino ut in præcedente. *Thorax* convexus, punctatissimus, longitudine postice fere duplo latior, antice parum angustatus, angulis prominulis acutis. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, postice vero angustiora, convexa, punctatissima, striola laterali semper integra distincta, terminali obsoleta, sæpiusque striolis duabus vel tribus brevissimis obliquis baseos, valde obsoletis, rudimenta quasi striarum dorsalium indicantibus. *Pectus* et *Abdomen* punctatissima. *Pedes* omnino ut in præcedente, sed tibiis posticis adhuc minus dilatatis.

Obs. Variat thorace antice jam paulo latiore, jam paulo angustiore. Optime hæc species hanc Familiam cum præcedenti jungit.

LXXV. Hist. Cylindricus *lineari-cylindricus, fronte impressa, thorace subquadrato, elytris supra striis quinque integris, unica abbreviata. Tab. X. f.* v.

Habitat in Carolina. Dom. Bosc.

Totus niger, nitidus, antennis pedibusque piceis. *Caput* profunde punctatum, clypeo fronteque antice valde impressis, antennarum clava ferruginea. *Thorax* subquadratus, vel longitudine paulo modo latior, convexo-cylindri-

cus, tenuiter marginatus, punctatissimus, disco vero punctis lævissimis. *Elytra* thoracis latitudine, illoque haud dimidio longiora, convexo-cylindrica, stria marginali nulla, humerali lævissima, dorsalibus quatuor primis integris, quinta antice paulo abbreviata, suturali integra, laterali et terminali distincta. Summus apex temere punctulatus. *Pectus* et *Abdomen* punctata. *Pedes* tibiis anticis latioribus quadridentatis, intermediis et posticis minus dilatatis, illis tri, his bispinosis, spinulis apicis bifidis.

Obs. Occurrit varietas duplo minor, thoracis disco paulo profundiore punctulato, an mas? Affinis sequenti sed abunde differt thorace longiore, corpore magis cylindrico striisque elytrorum aliter ordinatis.

LXXVI. Hist. Angustatus *convexo-linearis, thorace longitudine dimidio latior, elytris supra striis quatuor integris, binis abbreviatis. Tab. X, f. IV.*

Ent. Heft. 1. 102. 25. Schönh. Synon. Ins. 1. 99. 66. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 86. 15.
Payk. Fn. Sv. 1. 49. 9. not. Hist. Oblongus var. pygmæa.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, præsertim pini, in Svecia frequens, in Germania rarior.

Supra niger, nitidus. *Caput* punctulatum, clypeo fronteque antice impressis, lineola transversali; antennæ piceæ clava ferruginea. *Thorax* convexus, tenuiter marginatus, longitudine postice dimidio latior, antice vix angustatus, lateribus punctulatis, disco impunctato. *Elytra*

thoracis latitudine at duplo longiora, linearia, convexa, stria marginali nulla, humerali lævissima, quatuor primis dorsalibus integris, quinta vero et suturali antice paulo ante medium abbreviata, laterali et terminali distincta, interstitio lævi: summus apex punctulatus. *Pectus* et *Abdomen* nigro-picea punctulata. *Pedes* picei tibiis dilatatis, anticis quadridentatis, posticis bispinosis, intermediis quadrispinosis, spina apicis utriusque bicuspidata.

Obs. Variat magnitudine duplo vel plus duplo minore, sed in reliquis omnino similis. Histro sequenti valde affinis sed differt præsertim corpore convexiore, paulo magis elongato, striisque modo unica dorsali abbreviata.

LXXVII. Hist. Oblongus *subconvexo-linearis, elytris supra striis tribus integris, totidemque abbreviatis.* Tab. X. f. III.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 92. 41. Ent. Heft. 1. 100. 24. Payk. Fn. Sv. 1. 42. 9. Gyllenh. 1. 86. 14. Oliv. Ent. 1. p. 16. N:o 18. Tab. 2. f. 14. a. b. Hist. Elongatus.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, in Gallia et Germania frequens; in Svecia vero rarior.

Supra niger, vel obscure piceus, nitidus. *Caput* punctulatum, fronte antice impressa, lineola transversali; antennæ clava ferruginea. *Thorax* longitudine postice dimidio latior, antice paulo modo angustatus, parum convexus, tenuiter marginatus, lateribus punctulatis disco impunctato. *Elytra* thoracis latitudine, illoque haud duplo longiora, subparallela, parum convexa, stria marginali nulla, humerali læ-

vissima, tribus primis dorsalibus integris, reliquis duabus suturalique plus minusve ante medium antice abbreviatis, laterali et terminali distincta integra. Summus apex punctulatus. *Pectus* et *Abdomen* picea, punctulata. *Pedes* dilute picei, forma omnino præcedentis.

Obs. Minus convexus est præcedentibus.

SECTIO TERTIA.

Thorace sulcato.

TRIBUS PRIMA.

Thorace sulco utrinque unico longitudinali.

LXXVIII. Hist. Cæsus *thoracis disci sulco transverso, medio impresso.* Tab. XI. *f.* V.

Fabr. Syst. Ent. 1. 92. 43. Ent. Heft. 1. 114. 31. Illig. Kæf. Preuss. 1. 61. 17. Gyllenh. 1. 96. 28. Payk. Fn Sv. 1. 53. 22. Schönh. Syn. Ins. 1. 99. 70.

Habitat sub cortice arborum emortuarum in Sveeia et Germania minus frequens.

Totus nigro-piceus. *Caput* punctatum, fronte in medio longitudinaliter leviter impressa, angulo utrinque ante insertionem antennarum porrecto; antennæ longiores, secundo articulo insequentium paulo crassiore, clava ferruginea. *Thorax* antice latitudine longitudinis, postice dimidio latior, crebre punctatus, sulco utrinque laterali e margine incrassato proveniente, postice tenuiter marginatus, disco valde convexo, sulco transverso in partes duas æquales diviso. *Elytra* longitudine antice et in me-

dio paulo latiora, postice angustiora, confertissime temere punctulata, punctis sæpe in rugulas confluentibus; valde convexa seu gibba. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* dilute picei, tibiis inermibus, intermediis et posticis subfiliformibus, anticis apice dilatatis, spathulatis.

LXXIX. Hist. Vulneratus *thoracis disco linea transversa antice impresso.* Tab. XI f. vi.

Panz. Fn. Germ. 37. 6. Illig. Kæf. Pr. 1. 62. 18. Schönh. Synon. Ins. 1. 99. 71. Gyllenh. Ins. Sv. 1. 97. 29. Sturm. D. Fn. 1. 260. 37.

Habitat sat frequens in quisquiliis, et sub cortice arborum emortuarum.

Totus niger. *Caput* omnino ut in præcedente. *Thorax* antice vix longitudinem latitudine superat, postice dimidio latior; punctulatus, sulco utrinque laterali postice bifido, margine laterali elevato, incrassato, disco elevato, ante medium linea transversa impressa, postice immarginatus. *Elytra* longitudine ad basin paulo angustiora, statim vero magis dilatata, at pone medium iterum angustata, crebre temere punctulata, punctis rarius in rugulas confluentibus. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* omnino ut in præcedenti.

Obs. Magnitudo minorum individuorum hujus speciei Hist. Cæsi est, sed occurrunt etiam duplo fere majora, an differentia sexus? Affinis Hist. Cæso sed differt thoracis sulco laterali postice duplicato, et disco non sulco profundo, in duas partes æquales, sed lineæ modo antica, in duas partes inæquales diviso. Pars bifida interna sulci thoracis in figura nimis a margine remota est.

LXXX. Hist. **Pusillus** *piceus, thoracis disco æquali, elytris striis nullis.* *Tab. XI. f.* IV.

Rossi Mant. Ins. 1. p. 15. 26.
Payk. Fn. Sv. 1. 53. 22. not. Hist. Cæsus var.

Habitat minus frequens sub cortice arborum emortuarum in Etruria, unde a Cel. Dom. Rossi mihi benevole missus.

Totus piceus. jam obscurior, jam dilutior. *Caput* punctulatum, fronte convexa, angulo utrinque ante insertionem antennarum porrecto; antennæ omnino ut in præcedentibus. *Thorax* in reliquis statura omnino Hist. Cæsi, sed discus æqualis, vel nulla impressione transversim divisus. *Elytra* omnino Hist. Cæsi similia sed punctis paulo minus crebre sparsis, nec in rugulas confluentibus. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* statura omnino Hist. Cæsi.

Obs. E singulo puncto thoracis elytrorumque oculo acutissime armato, in individuis bene conservatis, pilus brevissimus grisescens oriri videtur, sed hi pili facillime avelluntur.

LXXXI. Hist. **Quadratus** *ferrugineus, nitidus, pilosus, thoracis disco æquali, elytris striatis.* *Tab. XI. f.* III.

Illig. Kæf. Pr. 1. 58. 11. Ent. Heft. 1. 63. 13. Kugel in Schneid. Mag. 1. 519. 21. Panz. Fn. G. 37. 5. Schönh. Syn. Ins. 1. 97. 53.
Oliv. 1. 8. p. 19. N:o 24. T. 1. f. 7. a. b. Hist. Ferrugineus.

Habitat in Gallia et Germania sub cortice arborum emortuarum rarius, magis vero frequens primo vere sub lapidibus, in societate Formica-

rum Fuscarum, cum quibus non modo in pace cohabitat, sed etiam, lapide elevato, periculo instante, in vias subterraneas Formicarum, una cum iis, quasi in sinum amicorum, sese recipit.

Totus ferrugineus nitidus. *Caput* impunctatum, fronte vix convexa; antennæ concolores, primo articulo incrassato, secundo insequentibus haud crassiore, reliquis versus apicem sensim incrassatis, vix vero, ut in congeneribus, clava distincta, sed ultimo modo articulo paulo longiore crassiore, apice truncato. *Thorax* antice pro receptione capitis valde emarginatus, latitudine vix longitudinis, postice vero triplo fere latior; impunctatus, sulco utrinque profundo longitudinali, margine laterali late incrassato. Pili breves rari e tota superficie oriuntur, qui, certo situ, quasi in lineas ordinantur. *Elytra* thorace duplo longiora et basi paulo latiora, convexa, postice valde angustata convexiora; stria marginali quatuorque dorsalibus levissimis integris, quinta dorsali summa modo basi indicata, laterali distincta, locoque suturalis punctis quidam levissimis in lineam positis, unde, ut etiam e striolis, pili breves ferruginei oriuntur. Sutura sæpius picea. *Abdomen* breve, impunctatum. *Pedes* longitudine mediocri, tibiis omnibus compressis, dilatatis, spinulis brevissimis ciliatis.

Obs. Pili breves facillime deteruntur. Oeconomiam valde singularem hujus Histri primus detexit Dom. Müller, mecumque benevole communicavit. Credit etiam oculatissimus hic Observator quod larva ejus etiam in societate harum formicarum sub terra habitet, quia plurima individua insecti declarati inter formicas, corpore adhuc

molli et pallide rubescente, itaque nuper e nymphis exeuntes, invenit.

TRIBUS SECUNDA.

Thorace sulcis pluribus longitudinalibus.

LXXXII. Hist. Hispidus *niger, hispidus, thorace utrinque bisulcato, elytris lineis quinque elevatis longitudinalibus. Tab. XI. f.* 11.

Habitat in India Orientali.

Niger, opacus, magnitudine Hist. Striati. *Caput* fronte lineis quinque longitudinalibus elevatis, quarum media et binæ laterales reliquis sunt longiores, omnes vero pilis latis brevissimis grisescentibus instructæ; antennæ clava ferruginea. *Thorax* antice vix duplo, postice fere triplo longitudine latior, utrinque bisulcatus, sulculis, e margine elevato lineisque duabus longitudinalibus elevatis, provenientibus, dorso vero ipso convexo. E toto thorace, præsertim vero e margine lineisque elevatis, hinc inde pili brevissimi lati rigidi, vel potius squamulæ, oriuntur. *Elytra* thorace plus dimidio longiora, et in medio multo latiora, lineis quinque longitudinalibus elevatis, quarum interstitia, introrsum serie duplici, extrorsum simplici, punctorum excavatorum interjecta. E lineis omnibus elevatis pili, vel potius squamulæ latæ rigidæ, brevissimæ, exsurgunt. *Pectus* et *Abdomen* profunde punctata, segmentis duobus ultimis abdominis supra valde longitudinaliter rugosis. *Pedes* nigropicei, longitudine mediocri, tibiis intermediis

et posticis vix dilatatis, spinulis minutissimis; anticis paulo latioribus, denticulis quatuor valde debilibus.

Obs. Squamulæ vel pili grisei facile deteruntur.

LXXXIII. Hist. Sulcatus *thorace lineis elevatis quinque, elytris tribus, his punctis duplici serie interjectis.* Tab. X. f. VIII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 89. 31. Schönh. Syn. Ins. 1. 96. 47. Ent. Heft. 1. 116. 32.
Oliv. Ent. 1. 8. p. 16. N:o 19. Tab. 2. f. 15. a. b. Hist. Globulosus.

Habitat in stercore et cadaveribus minoribus Europæ australis.

Color totius corporis niger. *Caput* profunde punctatum, angulo utrinque ante insertionem antennarum porrecto; antennæ longiores, secundo articulo insequentibus longiore, clava fusca; *Thorax* antice haud latitudine longitudinis, postice vero duplo latior, convexus, crebre profundeque punctulatus, sulcis plurimis, e lineis quinque elevatis longitudinalibus, provenientibus, quarum media sæpius medio interrupta, jam apice modo bifida, jam omnino e lineis duabus valde approximatis constat. *Elytra* thorace duplo longiora et ad basin paulo latiora, convexa, sutura lineisque tribus longitudinalibus elevatis, interstitiis crebre striatis, punctis duplici serie impressis, interjectis. *Pectus* et *Abdomen* punctulata, ultimo segmento abdominis, lineolis tribus, sæpe obsoletis, elevatis longitudinalibus. *Pedes* obscure picei,

elongati, tibiis subfiliformibus, oculis nudis, inermibus, acute armatis, spinulis brevissimis ciliatis.

Obs. Lineæ elevatæ elytrorum, jam altiores, jam humiliores sunt.

LXXXIV. Hist. Striatus *thorace elytrisque lineis elevatis sex, interstitiis linearum elytrorum punctis simplici serie interjectis. Tab. XI. f.* 1.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 90. 32. Schönh. Syn. Ins. 1. 97. 48. Ent. Heft. 1. 117. 33. Latreille Gen. *Crust. et Ins. t. 2. p. 49. Oliv. Ent. 1. 8. p. 17. N:o 20. T. 1. f. 6. a. b. Hist. Sulcatus.*

Habitat in Stercore Europæ australis.

Totus niger statura præcedentis, at plus duplo minor. *Caput* subtilissime longitudinaliter rugosum, lineola media obsoleta elevata; antennæ omnino ut in præcedente. *Thorax* rugis subtilissimis confertissimis longitudinaliter signatus, margine laterali lineisque sex, æquali spatio a se invicem remotis, lævibus, elevatis, interstitiis sulculos formantibus. *Elytra* striis sex æquali spatio a se invicem remotis, elevatis, interstitiis subtilissime longitudinaliter striatis, punctis simplici serie interjectis, impressis. *Pectus* et *Abdomen* profunde punctulata; abdomen lineolis tribus longitudinalibus elevatis. *Pedes* obscure picei, elongati, tibiis subfiliformibus inermibus.

HOLOLEPTA.

PALPI *quatuor inæquales, articulis omnibus subcylindricis.*

LABIUM *corneum, subbifidum, vel fere ad basin late emarginatum.*

LIGULA *membranacea, ad basin fere bifida, laciniis rectis linearibus, apice obtusis.*

LARVA *apoda, depressa, coriacea, rugosa.*

Hololeptæ omnes, quantum huc usque mihi cognitum est, sub cortice arborum frondiferarum emortuarum vivunt, et valde sunt tenues, depressæ, vel omnino planæ, ut facilius inter lignum et corticem arborum penetrent. Paucæ Europam inhabitant, plurimæ vero in India occidentali degunt. Magis quam Histri climati et regioni peculiari adstrictæ videntur, si modo Hol. Depressam excipias, cujus varietates numerosæ in Europa et utraque India occurrunt.

Larva Hol. Quadridentatæ a Fabricio e Mus. Dom. de Sehestedt breviter admodum perstricta, at ex eodem Musæo ditissimo a me accuratius descripta et delineata est. Larva hæc a Dom. Smidt ex America, ubi frequens occurrit, sub nomine *Larvæ Histri 4-dentati* ad Dom. Lund et de Sehestedt missa, at de oeconomia et Nympha ejus omnino tacuit meritissimus hic peregrinator, nec magis de metamorphosi Hololeptarum adhuc nobis innotuit.

Hololeptæ declaratæ in multis Histris similes sunt

sed tamen in variis differunt. Magis sunt depressæ, multoque tenuiores. *Caput* sæpius magis porrectum, minusque sub thorace reconditum. Instrumenta cibaria *Hol. Planæ* et *Quadridentatæ* sic descripsi: *Mandibula* cornea, elongata, arcuata, edentula, *) intus profunde canaliculata. Tab. I. fig. i. *Maxilla* palpis anticis paulo brevior, coriacea, biarticulata, edentula, intus ciliata, basi crassa, extrorsum attenuata, elongata, subarcuata. Fig. k. *Palpi* quatuor inæquales; *anteriores* maxillæ parum longiores, ejusque dorso adnexi, 4-articulati, articulo secundo reliquis paulo longiore, omnibus subcylindricis, ultimo apice obtuso; fig. l. *posteriores* multo breviores, ad basin ligulæ inserti, triarticulati, articulis omnibus subcylindricis, secundo reliquis longiore, tertio apice obtuso. Fig. n. *Ligula* membranacea medio interioris labii infixa, ad basin fere bifida, laciniis divaricatis, rectis, angustis, compressis, intus ciliatis, apice obtusis. Fig. o. *Labium* corneum, latum, breve, fere ad basin late emarginatum, laciniis divergentibus, subacuminatis. Fig. m. *Labrum* corneum, convexum, subemarginatum. Fig. p. *Antennæ* Hololeptarum statura omnino Histrorum gaudent, sed primus articulus sæpius paulo longior minusque arcuatus est. Fig. q. *Oculi* parvi, laterales. *Frons* sæpius impunctata plana, rarissime impressa, punctulata. *Thorax* planus, jam tenuiter marginatus, jam immarginatus, striis vel sulcis longitudinalibus nullis; sæpius impunctatus, rarius vero lateribus punctulatis, sterno sæpius minus quam in Histris versus os protracto, apice jam rotundato, jam transverso, jam acuminato. *Scutellum* minutissimum, triangulare, punctiforme. *Elytra* sæpius Histrorum adhuc breviora,

*) In speciebus nonnullis aliis mandibula denticulis quibusdam armata est.

vel thorace parum modo longiora, plana, ut in Histris plus minusve striata. *Alæ* amplæ, sub elytra plicatæ. *Abdomen* elytra excedens, punctulatum. *Pedes* breves, tibiis dilatatis, plus minusve denticulatis vel spinulosis. Magnitudo variat: nunquam tamen Hololeptas exiguitati minimorum Histrorum pares vidi. Color in omnibus speciebus a me visis, supra ater nitidus, subtus piceus.

Genus hoc parum numerosum, nondum subdivisionibus eget; si vero species plures indagantur, forsan in Hololeptas *thorace marginato* et *immarginato* distingvi possent.

1. Hol. Depressa *fronte impressa, thorace marginato, lateribus punctulatis, elytris striis dorsalibus quinque, exterioribus integris.*

Fabr. Syst. Eleut. 1. 91. 37. Ent. Heft. 1. 98. 23. Payk. Fn. Sv. 1. 428. in Nota. Gyll. Ins. Sv. 1. 559. 13-14. Schönh. Syn. Ins. 1. 98. 61. Oliv. Ent. 1. 8. p. 15. N:o 17. T. 2. f. 9. Hist. Depressus.

Habitat sub betulæ, quercus, fagi, aliarumque arborum frondiferarum cortice, in Europa fere tota, America boreali et India orientali.

Caput fronte antice clypeoque impressis; oculo armato subtilissime punctatum; antennæ piceæ, clava ferruginea. *Thorax* postice longitudine duplo latior, antice parum modo angustatus, supra tenuiter marginatus, lateribus punctatis, in medio lævissimus, subtus jam dilutius jam obscurius piceus, sterno ad os usque protracto, antice rotundato. *Scutellum* minutum triangulare. *Elytra* thorace duplo fere longiora, ba-

sique ejus latitudine, in medio vix dilatata, et postice paulo modo angustata, stria marginali nulla, humerali levi, tribus primis dorsalibus integris, quarta prope medium antice abbreviata, quinta suturalique omnino nulla, laterali et terminali integra. *Abdomen* punctatissimum, jam dilutius jam obscurius piceum. *Pedes* piceo-rufescentes, tibiis dilatatis; anticis et intermediis quadridentatis, posticis bidentatis, dente apicis bicuspide, quod etiam de dente extimo tibiarum intermediarum valet.

OBS. Talem nunquam in Svecia inveni, at nuper a Dom. Gyllenhal sub cortice truncorum fagi in Hallandia inventus.

Var. β.

Elytris stria dorsali quarta pone medium antice abbreviata, quinta punctulis modo quibusdam versus apicem indicata.

Habitat sub cortice betulæ in Uplandia rarius.

Var. γ.

Elytris stria dorsali quarta in medio, quinta ante medium abbreviata.

Habitat in Svecia et America boreali rarius.

Var. δ.

Elytris striis quatuor dorsalibus integris, quinta in medio antice abbreviata. Tab. VIII. f. VIII.

Payk. Fn. Sv. 1. 41. 8. Hist. Depressus.
Gyll. Ins. Sv. 1. 85. 13. Hist. Deplanatus.

Habitat sub cortice arborum frondiferarum emortuarum a Botnia occidentali ad Scaniam usque sat frequens, sed quantum, scio, nunquam in Europa media vel meridionali inventus.

Obs. Varietates hæ omnes magnitudine, habitu, et statura simillimæ; varietates etiam *β.* et *γ.* reliquas optime jungunt.

II. Hol. Complanata *thorace marginato, lævissimo, elytris punctulatis, supra striis nullis, tibiis submuticis. Tab. VIII. f.* VII.

Illig. Kæf. Pr. 1. 64. 24. Schönh. Syn. Ins. 1. 99. 67 Sturm. D. Fn. 1. 246. 29. t. 18. f. D. d. Hist. Complanatus.

Habitat in Germania sub cortice quercuum et fagorum rarius.

Caput fronte plana lævissima, antennarum clava rufescente. *Thorax* statura omnino præcedentis, at lævissimus. *Elytra* statura etiam ut in præcedenti, sed supra striis omnino nullis, et oculis parum armatis, ubique, at præsertim in medio, confertissime temere punctulata. Stria laterali et terminali distincta. *Pectus* et *Abdomen* oculis modo acute armatis punctulata. *Pedes* tibiis anticis arcuatis, extrorsum valde dilatatis, vix vero, oculis etiam armatis certoque situ, denticulis quibusdam brevissimis instructis; intermediis et posticis vix dilatatis, inermibus.

Obs. Secundum observationem Dom. *Sturm* puncta elytrorum interdum versus basin et extrorsum in striolas duas brevissimas, oculis tantum armatis conspicuas, confluunt, sed talia individua adhuc haud vidi. Ill. Dom. *Illiger* puncta elytrorum majora quam thoracis esse affirmat, at vix, etiam

lente acutissima armatus punctula quædam omnino minutissima in thorace detegere valui.

III. Hol. Foliacea *thorace marginato, impunctato, elytris striis duabus primis dorsalibus integris, tertia interrupta; reliquis supra nullis. Tab. IX. f.* v.

Habitat in Guinea Dom. A. Afzelius.

Caput fronte plana, lineola transversa antica impressa. *Thorax* marginatus, impunctatus, postice transversus longitudine fere duplo latior, antice parum angustatus, pro receptione capitis emarginatus. Sternum ad os prominens apice rotundatum. *Elytra* thorace vix plus dimidio longiora, anticeque latitudine ejus baseos, in medio parum tantum dilatata, postice paulo angustata; impunctata, striis duabus primis dorsalibus integris, tertia in medio valde interrupta, reliquis supra, fossulaque marginali, nullis; Stria laterali et terminali integra. *Abdomen* articulo anali triangulo magno in medio impresso, profunde punctulato.

Obs. Cum unicum modo individuum hujus speciei viderim, in aliis forsan contingere potest ut tertia stria dorsalis non interrupta sed integra evadat, at nihilo minus species est distincta.

IV. Hol. Corticalis *thorace immarginato, elytrisque lævissimis, his fossula marginali striaque tantummodo prima dorsali brevissima. Tab. IX. f.* 11.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 91. 38. Schönh. 1. 98. 62.

Habitat in America meridionali.

Caput lævissimum, fronte plana, antennarum clava fuscescente. *Thorax* immarginatus, lævissimus, in medio dilatatus, ut longitudine paulo plus duplo latior sit, antice pro receptione capitis emarginatus, angulis prominulis, ad latera posticeque rotundatus, angulis nullis. *Elytra* abdomine multo breviora, ad suturam thoracis longitudinem vix superantia, extrorsum vero longiora; lævissima, fossula tantummodo parva in medio marginis, loco striæ marginalis, punctulo baseos loco striæ humeralis, et stria prima dorsali ante tertiam partem longitudinis marginis exterioris, postice abbreviata. *Pectus* et *Abdomen* ad latera punctulata, sterno ad os haud porrecto, antice subtransverso, vel vix rotundato. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis dentibus tribus obtusis, intermediis et posticis spinulis quibusdam armatis.

Obs. Punctulum humerale elytrorum interdum cum striola prima dorsali coit, et sulculum format. Fossula marginalis in figura haud est expressa, quia margini nimis propinqua.

Y. Hol. Plana *thorace immarginato, elytrisque impunctatis, his fossula marginali, stria prima dorsali brevissima, secundaque puncto baseos indicata. Tab. IX. f.* 11.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 90. 36. *Illig. Kæf. Pr.* 1. 65. 25. *Oliv. Ent.* 1. 8. *p.* 15. *N:o* 16. *T.* 35. *f.* 8. *a. b. H. Sturm. Fn.* 1. 244. 28. *Latreille Gen. Crust. et Ins. t.* 11. *p.* 48. 3. *Hist. Planus.*

Habitat in Europa media et meridionali sub cortice arborum emortuarum minus frequens.

Caput lævissimum, antennarum clava fuscescen-

te. *Thorax* immarginatus, lævissimus, statura ut in præcedente, sed postice minus rotundatus, pauloque latior: sternum ad os haud prominens, antice transversum. *Elytra* statura ut in præcedente, sed paulo latiora, magnam partem abdominis haud obtegentia, impunctata, fossula profunda elongata marginali, stria prima dorsali lata, sed ante tertiam partem longitudinis marginis exterioris postice abbreviata, secunda striola brevissima, vel potius puncto tantummodo magno baseos, indicata. *Abdomen* lateribus apiceque punctatis. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis tridentatis, dente apicis valde obtuso emarginato; tibiis intermediis quadridentatis, dente intimo minuto, binis apicis approximatis; posticis tridentatis dentibus binis apicis approximatis.

Obs. Affinis præcedenti sed differt loco natali, corpore latiore, fossula marginali majore et stria secunda dorsali puncto indicata.

VI. Hol. Lamina *capite, thoracis lateribus, elytrisque apice punctulatis; his fossula marginali, stria prima dorsali brevissima, secunda integra. Tab. IX. f.* vi.

Habitat in India occidentali. Mus. Dom. Gyllenhal.

Caput subtilissime punctulatum, antennarum clava fusco-rufescente. *Thorax* postice et in medio longitudine duplo latior, antice parummodo angustatus, pro receptione capitis emarginatus, postice subtransversus, lateribus late punctulatis. *Elytra* thorace vix latiora, statura ut in Hol. Corticali, fossula marginali profun-

da, stria prima dorsali brevissima, secunda integra, et in apice sub stria dorsali puncta quædam pauciora impressa. *Pectus* et *Abdomen* punctulata. *Pedes* tibiis dilatatis, anticis tridentatis, dente apicis bifido, intermediis et posticis omnino ut in Hol. Plana.

VII. Hol. Humilis *thoracis lateribus punctulatis, capite elytrisque impunctatis, his fossula marginali, stria prima dorsali brevissima, secunda interrupta. Tab. XIII. fig.* III.

Caput impunctatum, antennarum clava fusca. *Thorax* statura Hol. Planæ, vix submarginatus, lateribus punctulatis, sed minus late crebreque quam in præcedente. *Elytra* statura ut in Hol. Plana, omnino impunctata, fossula marginali, stria dorsali prima baseos brevissima, secunda antice posticeque tantummodo observanda, in medio vero late interrupta; sternum ad os haud productum, antice parum rotundatum. *Pectus* et *Abdomen* punctis paucioribus adornata. *Pedes* tibiis dilatatis, omnibus tridentatis, anticis apice late emarginato.

Obs. Differt a præcedente, cui affinis, magnitudine dimidio majore, fronte elytrisque impunctatis, thorace minus late punctulato, striisque elytrorum aliter ordinatis. Species hæc in Musæo meo conservatur, sed patria ejus incerta.

VIII. Hol. Quadridentata *capite thorace elytrisque impunctatis, his fossula marginali, stria prima dorsali brevi, secunda integra. Tab. IX. f.* IV.

Fabr. Syst. Eleut. I. 91. 39. *Schönh.* I. 98. 63. *Oliv. Ent.* I. 8. p. 14. N:o 15. *T.* 2. *f.* 11.

Habitat in America.

Caput fronte inæquali, antennarum clava fuscescente. *Thorax* paulo longior quam in præcedentibus, seu longitudine haud duplo latior, impunctatus, distincte marginatus, stria marginis in angulo antico parum retrorsum flexa, ibique profundior; postice subtransversus, antice pro receptione capitis emarginatus. *Elytra* statura ut in Hol. Plana, impunctata, fossula marginali, stria prima dorsali lata, sed ante medium postice abbreviata, secunda integra, introrsum flexa. *Pectus* et *Abdomen* ad latera profunde punctata, sterno ad os haud porrecto, antice subacuminato. *Pedes* tibiis anticis quadridentatis, intermediis et posticis tridentatis.

E musæo Dom. de Sehestedt larvam hujus speciei sic descripsi. *Caput* minutum, valde angustatum, supra sulculo utrinque laterali longitudinali, et in medio etiam longitudinaliter parum impressum; ante maxillas utrinque unidentatum. Oculi prominuli, pilo longo rigido in cantho interno. Antennæ et palpi in individuo meo læsi, ut illos mihi examinare haud licuerit. Segmentum primum (*thorax*) capite plus duplo latius, antice transversum, utrinque unidentatum, postice parum rotundatum. Segmenta sequentia octo brevia transversa, sensim, quo ano propiora, latiora, margine laterali prominulo, rotundato, pilum unum alterumve rigidum, in segmentis anterioribus, exserente. Segmentum penultimum longitudine et statura præ-

cedentium, margine vero laterali postice non rotundato sed exacte cum segmento insequente connexo. Segmentum anale reliquis longius, antice transversum, postice parum rotundatum, quadridenticulatum, pilo rigido e singulo denticulo exeunte; dorso carinula utrinque obliqua elevata, postice invicem coadunata. *Pedes* nulli. Corpus totum brunneum coriaceum, depressum, supra infraque rugulis transversalibus et circularibus minutis adspersum, capite solo paulo læviore, dilutiore. Tab. I. f III.

IX. Hol. Maxillosa *subdepressa*, *maxillis thorace longioribus*, *tibiis anticis bidentatis*. *Tab.* *IX. f.* VII.

Fabr. Syst. Eleut. 1. 91. 40. Schönh. 1. 98. 64. Oliv. Ent. 1. 8. p. 5. 1. T. II. f. 8. et t. 3. f 8. b. Linn. Syst. Nat. 1. II. p. 566. N:o 1. Herbst Col. IV. *p. 46. N:o 20. tab. 36. f. 9. femina. Hist. Maximus.*


Habitat in America.

Caput impunctatum, antennis longioribus, clava fuscescente; mandibulæ magnitudine eximia, sinistra bidentata, majore, in mare scilicet longitudine capitis thoracisque, in femina vero thorace solo paulo longior, dextra unidentata, in mare longitudine thoracis et dimidii capitis, in femina thorace vix longior, utræque introrsum a basi ad dentes pilis densis brevibus ferrugineis adornatæ. *Thorax* impunctatus, ad latera et in angulis anterioribus tenuiter marginatus, in medio longitudine fere duplo latior, antice paulo angustatus, pro receptione capitis emarginatus, postice omnino in semicirculum rotundatus. *Scutellum* minutissimum,


punctiforme. *Elytra* impunctata thorace paulo longiora et ad basin fere latitudine ejus medii, postice vero paulo angustiora, stria vel fossula marginali nulla, humerali distincta, tribus primis dorsalibus integris, secunda tamen antice paulo breviore, striis reliquis dorsalibus suturalique nullis, laterali terminalique distinctis. *Pectus* lateribus variolosis, in medio læve, canaliculatum, sterno brevi, angusto, apice acuminato. *Abdomen* punctatissimum. *Pedes* breves, tibiis anticis valde dilatatis, obtuse bidentatis, intermediis et posticis spinulis densis minutissimis, brevissimis, armatis.

Obs. Foemina mari omnino similis, sed paulo minor et mandibulis multo brevioribus. Hæc species subdepressa, at non, ut præcedentes plana, a me pro inopia individuorum haud rite qua instrumenta cibaria examinata. Habitus quidem fere est Histrorum, sed, quantum mihi videre licuit, labium profunde emarginatum, maxilla omnino Hololeptarum et articuli interiores palporum vix extrorsum incrassati.

HISTER.




HOLOLEPTA.




J Klingvall pinx!

J G Buckman sculp!


I.




II.




III.




IV.




V.




VI.



VII.




VIII.



Singvall pinx.

J.G.Ruckman sculp.


Tab. III.




Klingvall pinxt J.G.Ruckman sculpt

Tab. IV.


I.




V.




II.




VI.




III.




VII.



IV.




VIII.




J. Klingvall pinx.t *J. G. Ruckman sculp.t*

Tab. V.


I.




V.




II.




VI.




III.




VII.



IV.




VIII.




J. Klingvall pinx:t

J. G. Ruckman sculp:t


I.




V.




II.




VI.




III.




VII.



IV.




VIII.




Klingwall pinx.

J.G. Ruckman sculp.


I.




II.




III.




IV.




V.




VI.



VII.




VIII.




J. Klingwall pinx.t *J.G. Ruckman sculp.t*


I.




II.




III.




IV.




V.




VI.



VII.




VIII.




J. Klingvall pinx.

J. G. Ruckman sculp.


I.




V.




II.




VI.




III.




VII.



IV.




VIII.




T. Klingvall pinx.t J.G. Ruckman sculp.t


I.




II.




III.




IV.



V.




VI.



VII.



VIII.




J. Klingvall pinx. *J.G. Ruckman sculp.*


I.




II.




III.




IV.




V.




VI.




VII.



VIII.




J. Klingvall pinx.t J. G. Ruckman sculp.t



J. Klingvall pinx.t

J. G. Ruckman sculp.t



J. Klingvall pinx.t J. G. Ruckman sculp.t